

SPRAWOZDANIE
DYREKCYI
C. K. GIMNAZYUM WYŻSZEGO
W BRZEŻANACH
ZA ROK SZKOLNY 1908/9.

TREŚĆ:

- 1) DE TRANSLATIONUM, QUAE VOCANTUR, ET COMPARATIONUM USU
HORATIANO. — SCRIPSIT DR. S. HANDEL.
 - 2) CZĘŚĆ URZĘDOWA — PRZEZ DYREKTORA.
-

BRZEŻANY
NAKŁADEM FUNDUSZU SZKOLENEGO.
DRUK. I LIT. ST. CHOWANIEC, STANISŁAWÓW.
1909.



RR 12h
Spr. 11

De translationum, quae vocantur, et comparationum usu Horatiano

scripsit

D^{r.} S. Handel.

II.

De imaginibus ad hominem eiusque condicionem spectantibus.

Quarum rerum materia cum sit uberrima, haud inopportune distribui potest in capita tria, quorum primum imagines ab hominis et animo tractas, alterum res ad vitae privatae munera et condiciones, tertium ad vitam publicam spectantes continebit. Quibus praemissis caput quartum ordiri liceat.

Caput IV.

Imagines ab hominis corpore et animo ductae.

Eadem atque in capite tertio ratione usus materiam tractandam in paragraphos distribuo, quo facilius, quo quodque spectet, animo complectamur. Itaque paragrapho prima translationes generatim ab hominum vita, corporum formis atque membris arcessitae continebuntur, in paragrapho altera inquiretur in translationes ab hominum valetudine sumptas, tum in paragrapho tertia de corporis humani muneribus, veluti edendo, bibendo agetur, postremo in paragrapho quarta tractabuntur imagines, quae ad hominum sensus et animos eorumque motus atque affectiones spectant. Sed ut ordiamur, tempus monet.

§. 1.

Translationes generatim ab hominum vita corporis formis atque membris sumptae.

Prae ceteris occurrent verba, nasci, parturire“ metaphorice adhibita. Velut

- C. I, 7, 16: Notus neque *parturit* imbris
perpetuo
- C. IV, 5, 26: Germania quos horrida *parturit*
fetus
- Sat. II, 3, 8: immeritusque laborat
iratis *natus paries* dis atque poetis
- C. I, 27, 1: *Natis* in usum laetitiae scyphis
pugnare Thracum est
- C. III, 21, 1: *O nata* mecum consule Manlio
. pia testa

Quam metaphoram priscis litterarum temporibus iam usitatam fuisse patet ex his: Plaut. Amph. I, 1, 274: „eam [hirneam] ego vini ut matre natum fuerat induxi meri“. — Terent. Adelph., V, 3, 19: nunc demum istaec natast oratio. — Neque minus a Lucretio aliena est cf. De r. n. IV, 492; II, ¹⁰¹¹/₁₂; IV, 847.

Deinde vivendi notio verbi et adiectivis ab eo derivatis inhaerens, nonnullis locis imagines praebet. Atque

- C. I, 19, 13: hic *vivum* mihi caespitem
. ponite
- C. III, 8, 4: positusque carbo in
caespite vivo
- C. I, 36, 16: nec *vivax apium* nec breve lilium
- C. I, 32, 3: . . . quod et hunc in annum
vivat et pluris, age dic Latinum,
barbite, carmen.

- Ep. I, 19, 2: Nulla placere diu nec *vivere* carmina possunt
- C. IV, 9, 10: *spirat* adhuc amor
vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae

- C. III, 21, 23: *Vivaeque* producent lucernae

Ea quoque translatio litterarum primordia respicit. cf. Plaut. Aulut. I, 2, 15: si ignis vivet; Lucr. I, 1033, efficit ut . . . vivant labentes aetheris ignes — ut alia eius generis praetermittam; tamen negari non potest poetam nostrum in metaphorico huius vocis usu non mediocriter profecisse.

Transeo ad imagines a senectute et morte petitas.

Ep. I, 7, 87: *immoritur* studiis et amore *senescit* habendi

Ep. I, 18, 47: surge et inhumanae *senium* depone camenae quo loco senium tristitiae ac severitatis vice ponitur.

Ep. II, 1, 268: cum scriptore meo *capsa porrectus operta deferar in vicum* . . .

quasi corpus mortuum in feretro.

Accedit adiectivum, quod senectuti potissimum est proprium
 C. III, 16, 35: nec . . . bacchus in amphora
languescit mihi . . .

C. III, 21, 8: descendit, Corvino iubente
 promere *languidiora* vina

Utroque loco in eandem regionem transmigrat. — Sed de iis
 hactenus.

Sequitur, ut deinceps translationes ab hominis statu ac
 forma ortas percenseam. Exstant:

Sat. II, 3, 308: . . . *longos* imitaris, ab imo
 ad summum totus moduli bipedalis

Quo loco „*longitudo*“ in proceres transfertur, velut Maecenatem;
 praeterea lepidissime contrarium quoddam praebet, exigui corporis Horatiani (cf. Epist. I, 20, 24.)

Contra Sat. I, 4, 17: di bene fecerunt, inopis me quodque *pusilli*
 finxerunt animi

adiectivum a corpore ad animum transfertur.

Formae humanae usus translatus illustratur hisce:

Sat. I, 3, 58: tardo cognomen *pingui* damus

Sat. II, 6, ¹⁴/₁₅: *pingue* pecus domino facias et cetera praeter
 ingenium . . .

Sat. II, 2, 3: abnormis sapiens *crassaque* Minerva

Hanc imaginem nonnulli viri docti, velut Krueger (l. l. pag. 93)
 a tela crasso filo contexta ductam esse censuerunt. Evidem cum
 iis facio, qui collato Ciceronis loco (Lael. 5, 19):

„agamus igitur pingui, ut aiunt, Minerva“ — hunc locum ad
 pinguitudinem potius spectare statuerunt. Neque solum loco Ciceroniano ea sententia confirmatur, verum Quintiliani etiam I, 10, 28
 argumento est: „*crassiore* ut vocant Musa dubitationem eximere“.

Porro Ep. I, 2, 57: invidus alterius *macrescit* rebus *opimis*

Ep. II, 1, 181: si me
 palma negata *macrum*, donata reducit *optimum*

Sat I, 1, 110: quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescat . . .

Adiectiva „*macer*, *opimus*“ in animi condicionem tristem vel
 laetam transferri manifestum est.

Supersunt duo exempla in hunc gyrum quadrantia

Sat. II, 1, 13: . . . neque enim quivis *horrentia* pilis
 agmina . . . describit.

C. II, 9, 1: Non semper imbræ nubibus *hispidos*
manant in *agros*

Imago ab hirsuta hominum imprimis lugentium specie petita est.
Hanc vocem ab Horatio primo in sermonem poeticum esse in-
ductam observavit Kiesslingius (l. l. pag. 171).

Quibus expeditis restat, ut membra humana metaphorico
colore imbuta pertractemus. Qua in re necessario fit, ut a capite
enumerandi initium capiamus. Atque caput mentis esse sedem
signtificat.

Sat. II, 3, 132: *incolumi* capite es?

Sat. II, 6, 34: aliena negotia centum
per *caput* et circa saliunt latus.

Sequitur „caput“ sicuti Graecum illud κεφαλὴ ποταμῷ (Herodot., IV, 91) modo fontis, modo ostii vice usurpatum.

Sat. I, 10, 37: defingit *Rheni luteum caput*, haec ego ludo

C. I, 1, 22: stratus nunc *ad aquae lene caput sacrae*

Eius translationis vetustas his locis probatur: Plaut., Trinum.
IV, 2, 98: Caput amnis; Lucr. VI, 729: caput Nili; V, 270, aliis.

Porro cerebrum pro mente invenitur

Sat. II, 2, 75: . . . *putidius multo cerebrum est.*

Iram depingit Sat I, 5, 21: donec *cerebrosus* prosilit unus

Sat. I, 9, 10: o te, Balane, *cerebri*
felicem!

In fine adpono:

C. III, 16, 19: iure perhorui
late *conspicuum tollere verticem.*

Qua translatione potestas opibus atque dignitate splendendi oculis
obicitur.

His enumeratis transeo ad imagines a capillis sumptas.

C. I, 21, 5: vos laetam flaviis et memorum *coma* [Dianam]

C. IV, 3, 11: et *spissae nemorum comae*

C. IV, 7, 2: redeunt iam gramina campis
arboribusque comae.

Haec imago in memoriam revocat Homeri illud ψ, 195:
ἀπένοιᾳ κόμηγνταγνφύλλων ἐλαῖης

Sequuntur metaphoræ ad frontem pertinentes. Animi affectio-
nes significant.

Sat. II, 2, 125: explicit vino *contractae seria frontis*

Sat. II, 8, 84: . . . *redis mutatae frontis* . . .

cf. Martial. XIV, 183, 2: et frontem nugis solvere disce meis.

Sensus potius spectat in his:

C. II, 5, 16: *iam proterva
fronte* petet Lalage maritum.

C. III, 29, 16: *sollicitam explicuere frontem* [cf. Mart. XIV, 183]

Ep. I, 9, 11: *frontis ad urbanae* descendit praemia

Tum, oculi“ duobus locis leguntur.

Sat. I, 3, 25: cum tua pervideas *oculis mala lippus inunctis*

C. I, 3 18: qui *siccis oculis* monstra natantia
. vidit

Altero loco ingenii acumen, altero animi affectio significatur.

Sequitur „nasus“.

Sat. I, 3, 29: . . . minus aptus *acutis
naribus* [cf. Epod. 12, 3: *naris obesae*]

Sat. I, 4, 8: *emunctae naris*, durus componere versus

Utroque loco sagacitas significatur. — Interdum superbiae imaginem praebet.

Sat. I, 6, 5: *naso suspendis adunco
ignotos*. [cf. Gr. μωκτημένοι]

Sat. II, 8, 64: Balatro, *suspendens omnia naso*.

Ep. I, 19, 45: ad haec *naribus uti
formido* [cf. nostrum: „kręcić“ nosem, die Nase „rümpfen“].

Sequitur, ut generum et oris usum metaphoricum percensem. Atque

Sat. I, 1, 21: quin Iuppiter *ambas
iratus buccas infllet*

Sat. II, 3, 72: cum rapies in ius *malis ridentem alienis
fiet aper*

Quo loco poeta noster Homericum illud detorsit v. 345:

„γναθόσισ αλλεποβασιν“

Deinde Sat. I, 4, 44: cui mens divinior atque *os
magna sonaturum*, des nominis huius honorem

Sat. I, 10, 7: ergo non satis est *risu diducere rictum
auditoris*

Sat. I, 10, 30: patriis intermiscere petita
verba foris malis *Canusini more bilinguis*

quod et Graece et Latine Canusini loquebantur.

A. P., 93: interdum tamen et *vocem comoedia tollit
iratusque Chremes tumido delitigat ore.*

Accedunt singulae imagines, quae dorso, bracchiis, cunno
praebentur. Atque

Sat. II, 6, 91: quid te iuvat

praerupti nemoris patientem vivere *dorso*?

Epist. II, 2, 48: tulit aestus in arma

Caesaris Augusti non responsura *lacertis*

Sat. I, 3, 107: nam fuit ante Helenam *cunnus* deterrima
causa [belli]

Utroque loco et syncedoche, quam vocant, subauditur.

Tum demum a pedibus petuntur translationes hae: Saepe-
numero brevissimam quamque versus moram significat, quae vox
postea tralatitia veste detracta a Grammaticis recepta est. Velut

Sat. I, 4, 7: *mutatis* tantum *pedibus* numerisque

Sat. I, 4, 47: nec verbis nec rebus inest, nisi quod *pede certo*
differt sermoni sermo merus . . .

Sat. I, 10, 1: Nempe *incomposito*, dixi, *pede currere* versus
Lucili

Sat. I, 10, 59: mollius ac si quis *pedibus* *quid claudere senis*
hoc uno contentus . . .

Sat. II, 1, 28: me *pedibus* delectat *claudere verba*
Lucili ritu

Sat. I, 10, 43: facta canit *pede ter percusso*

C. IV, 6, 35: *Lesbium servate pedem*

A. P., 80: hunc socci cepere *pedem* grandesque cothurni

A. P., 252: iambus
pes citus

Semel pro „modo“ usurpatum deprenditur.

Ep. I, 7, 98: metiri se quemque suo modulo *ac pede* verum est
De tribus locis Epod. 16, 48; C. III, 2, 32; Epist. II, 1, 176, si
ad personificationes pervenero, fusius tractabitur.

His adnectendi mihi videntur loci aliquot, quibus adiectivum
„pedester“ metaphorice adumbratum exstat. Atque

Sat. II, 6, 17: quid prius illustrem satiris musaque *pedestri*

C. II, 12, 9: . . . tuque *pedestribus*
dices *historiis* proelia Caesaris

A. P., 95: et tragicus plerumque dolet *sermone pedestri*
„Pedester“ idem valet atque Graecum illud, „πεζὸς λόγος“

Ut ad finem perveniam, addo verba „currere“, „transilire“.

C. I, 28, 6: Animoque rotundum
percurrisse polum morituro . . .

cf. Lucr. I, 74: omne immensum peragravit mente animoque

C. I, 18, 7: ne quis modici *transiliat* munera Liberi.

Hae sunt imagines fere omnes ex ea regione tractae. Quae cum ita sint, ad percensendas imagines ab hominis valetudine petitas transeo.

§. 2.

De translationibus a valetudine petitis.

Ante omnia nomen adiectivum sanus in bonam animi valetudinem velut sapientiam, prudentiam transferri permultis exemplis conprobatur. Quae sunt:

Sat. I, 3, 61: pro *bene sano*

Ac non incauto fictum astutumque vocamus

Sat. I, 3, 83: Labeone insanior inter
Sanos dicatur

Sat. I, 4, 129: ego *sanus ab illis* [vitiis]

Sat. I, 5, 44: Nil ego contulerim *iucundo sanus amico*

Sat. I, 6, 89: Nil me paeniteat *sanum* patris huius

Sat. I, 6, 98: demens

iudicio volgi, *sanus fortasse* tuo

Sat. I, 9, 44: paucorum hominum et *mentis bene sanae*

Sat. II, 3, 74: Si male rem gerere insanis est, contra *bene sani*
ibid. v. 128: Tum sanus?

ibid. v. 158: „Quisnam igitur sanus?“ Qui non stultus.

Praeterea sexies in hoc satira invenitur, dum poeta stoicorum doctrinam per ludibrium detorquet — Porro *Epist. I., 1, 8:*

Solve senescentem *mature sanus equum*

Epist. I., 1, 108: Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Cui loco dissimulatio quaedam inest.

Epist. I., 18, 30: Arta decet sanum comitem toga

Epist. II., 2, 122: . . . nimis aspera sano [in rem inanimatam transfertur]
Levabit *cultu.*

A. P. 296: excludit *sanos* Helicone *poetas*

Democritus

Quicunque longam exemplorum seriem perlustraverit, eum sane non fugiet, ne unum quidem inveniri locum ex epodis et carminibus adpositum. Sed in praesentia iudicare satis habeo rem ita se habere. Cuius rei quae sit causa ac ratio, in disputationis nostrae fine explanabitur.

Ad metaphoras a morbis petitas transeunti adferre visum est exempla usum translatum adiectivi „*insanus*“ et verbi „*insa-*

nire“ illustrantia. Atque primum occurunt loci plerique, qui has voces dementiae significatione praebent. Quarum vestis tralaticia cum sit satis contrita, adeo ut ad prosae orationis naturam prope accedere videatur, ne longum faciam, nil nisi locos, ubi facile invenias, adponere libet. Atque Sat. I, 2, 97; Sat. I, 5, 35; Sat. I, 6, 27; Sat. I, 10, 34; Sat. II, 2, 5 et 33; Sat. II, 3, 64, ibidem v. 126; 159; 173; 197; Sat. II, 6, 29;

Sat. II, 6, 69; C. I, 34, 2: Parcus deorum cultor et infrequens
insanientis dum sapientiae
consultus ero . . .

quod exemplum apposui propterea, quod praeter imaginem lepidissimum, ut Graece dicam, ὄξυμωρον praebet.

Tum: C. III, 7, 6; Ep. I, 1, 101; Ep. I, 5, 14; Ep. I, 6, 15; Ep. I, 19, 3: *male sanos*.

Sequntur imagines amorem significantes.

Sat. I, 3, 10: libertinarum dico, Sallustius ni quas
non minus insanit quam qui moechatur

Sat. I, 4, 27: hic nuptarum *insanit* amoribus, hic puerorum

Sat. I, 4, 49: At pater ardens
saevit quod meretrice nepos *insanus* amica
filius uxorem grandi cum dote recuset

C. III, 2, 3: seu rixam et *insanos amores* [geris]

Denique irae vice ponitur duobus locis:

C. I, 16, 15: et *insani leonis*
vim stomacho adposuisse nostro

Epist. II, 2, 135: posset qui ignoscere servis
et signo laeso non insanire lagoenae

His exaratis accedo ad illustrandam vim metaphoricam notionum morbi, doloris, aegrotandi, similium. Videmus igitur:

Sat. II, 3, 27: miror *morbi purgatum te illius*
ibid. v. 78—80: quisquis
ambitione mala aut pallet amore,
quisquis luxuria tristive superstitione
aut alio mentis morbo calet . . .

Porro: Sat I, 2, 109: hiscine versiculis speras tibi posse *dolores*
. e pectore tolli

Sat. II, 3, 264: an potius mediter finire *dolores*

C. I, 37, 9: contaminato cum grege *turpium*
morbo virorum . . .

Tum: Sat. I, 6, 30: si quis *aegrotet*, quo modo Barrus haberi
ut cupiat formosus . . .

Sat. II, 3, 307: tantum hoc edissere, quo me
aegrotare putas animi vitio . . .

Ex his, quae modo protuli, exemplis appareat, notionem morbi
in dementiae, amoris, libidinis nonnumquam spadonum, iactatio-
nis, omnino vitiorum vim transmigrare.

His adnecto verbum laborandi, cuius usus metaphoricus
exstat: Pro „amore flagrare“ ponitur:

C. I, 17, 19: et fide Teia
dices *laborantis* in uno
Penelopen vitreamque Circen.

C. I, 27, 19: a miser
quanta *laborabas* Charybdi
digne puer meliore flamma

In res inanimas transfertur:

C. I, 9, 3: . . . nec iam sustineant onus
silvae laborantis

C. II, 9, 7: aut aquilonibus
querceta Gargani *laborant*

Sat. II, 3, 7: immeritusque *laborat*
iratis natus paries dis atque poetis

Sequuntur imagines a variis morbis ductae. Velut
Sat. I, 7, 7: confidens *tumidusque*

Sat. II, 3, 213: tibi vitio cum *tumidum* est cor

C. I, 3, 19: qui vidit mare *turgidum*

Ep. I, 12, 14: cum inter *scabiem tantam et contagia lucri*
nil parvum sapias.

Sat. I, 3, ⁷³/₇₄: qui ne *tuberibus propriis offendat amicum*,
postulat, *ignoscet verrucis illius* . . .

Quam imaginem cf. cum similitudine illa, quae exstat

Evang. Matth. 7, 3, de trabe et assula.

Sat. I, 7, 1: Proscripti Rupili Regis *pus* atque venenum . . .

Praeterea C. II, 2, 13–16 morbus, quem Graeci hydropa
vocant, avaritiae speciem praebet; quae imago in Cynicorum de-
moribus doctrina satis trita erat.*⁾ Videmus igitur:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
nec sitim pellit, nisi causa morbi
fugerit venis et aquosus albo
corpore languor.

^{*}) cf. Bion apud Stobaeum 97, 31; Teles, ibid. 93, 31; Polyb. XIII, 2.

Denique lippitudo, qui morbus Romae Horatii temporibus pervulgatus videtur fuisse, locis duobus deprenditur:

Sat. I, 1, 120: . . . ne me Crispini scrinia *lippi*
compilasse putas . . .

Sat. I, 3, 25: cum tua pervideas oculis mala *lippus* inunctis.
Utreque loco in animum transfertur.

Sed de his hactenus. Jam imagines, quae sequuntur, percensere pergamus.

§. 3.

Metaphorae a corporis humani munera spectantes.

In hanc materiam inquirenti primum tractandae videntur imagines ab edendo sumptae, quarum exempla sunt haecce:
Epod. 12, 3: munera cur mihi quidve tabellas

mittis nec firmo iuveni neque *naris obesae*?

[cf. appos. Sat. I, 3, 29].

C. III, 4, 75: nec *peredit*
impositam celer ignis Aetnam

C. III, 29, 36: . . . nunc lapides *adesos*
. . . volventis . .

Cuius usus vetustatem testantur loci: Lucr. V, 1250: flammeus ardor . . . silvas exederat . . . altis ex radicibus; Lucr. I, 326: vexo sale saxa peresa; Lucr. III, 413, Catull. XXXV, 15: ignes interiorem edunt medullam; LXVI. 23: quam penitus maestas exedit cura medullas.
si quid

Ep. I, 2, 39: *est animum*, differs curandi tempus in annum?
Huc pertinent Sat. I, 9, 33: garrulus hunc quando *consumet* cumque:

Adiectivum „*edax*“ his exemplis probatur:

C. II, 2, 18: dissipat Euhius
curas *edaces*

C. III, 30, 3: . . . imber *edax* . . .
Sequuntur satietatis et famis notiones.

Ep. I, 20, 8: et scis
in breve te cogi, cum *plenus* languet amator.

Ep. I, 17, 12: accedis *siccus* ad unctum.

Ep. I, 18, 23: quem tenet argenti *sitis* importuna *famesque*
Hoc exemplo allato ad bibendi vocis usum translatum quasi delabimur. Legimus enim:

Sat. I, 1, 52: dum ex parvo nobis tantundem *haurire* relinquas
Sat. II, 6, 52: *ducere* sollicitae *iucunda* *oblivia* vitae.

C II, 3, 32: densum humeris *bibit* aure volgus
 Quae translatio suavissime est inventa: nam populi turba, dum
 suspensa intentaque audit, verba vatis sicuti effluunt, quasi
 liquorem quendam haurit. Et nostri aevi poetae yatis Venusini
 lumina imitati eadem usi sunt imagine. cf. Goethe, Iphigenie:

Es klingt so schön, was unsre Väter taten,
 Wenn es in stillen Abendschatten ruhend
 Der Jüngling mit dem Ton der Harfe schlürft.

C. III, 8, 11: amphorae fumum *bibere* institutae
 consule Tullo.

Ep. I, 2, 67: nunc *adhibe* puro
 pectore verba puer . . .

Ep. I, 10, 27: . . . qui Sidonis contendere callidus ostro-
 nescit *Aquinatem potentia vellera fucum*

cf. Lucr. IV, 1119; V, 382: —

A vinolentis petitur.

C. I, 37, 11: . . fortunaque dulci *ebria* [cf. „upojony szczęś-
 Sobrius appetet: ciem“]

C. II, 10, 8: . . . caret invidenda
sobrius aula.

Tum „dormire“ altero loco inertem esse valet, altero
 exiliores carminum partes significat.

Sat II, 1, 7: . . . „verum nequo *dormire*“.

A. P., 359: indignor quandoque bonus *dormitat* Homerus.

Postremo quattuor minimae suavitatis imagines, quibus
 offendit quemquam non est aequum, adpono, primum quod
 veteres ab hoc dicendi genere minime abhorrebat, deinde
 quia hae imagines quasi eximiae gravitatis voces haud
 iniquo loco videntur usurpatae, denique quoniam intra „ser-
 monum“ qui dicuntur, fines se continent. Atque sunt:

Sat. II, 5, 41: Furius hibernos cana *nive conspuet* Alpes
 Hac metaphora, quam a Furio Bibaculo, iamborum illo scriptore,
 esse fictam Ps. — Aero (ad h. l.) memoriae prodidit, Horatius
 non sine malitia quadam scite arguteque usus est. Cuius imagines
 insulsitatem atque ineptiam aequalibus iam taedio fuisse loco
 nostro probatur. Neque dubitari potest, quin Horatio nostro
 criminis verteretur, nisi Quintiliani iudicio eius loci memoria ad
 nostram actatem pervenisset.

Sequitur A. P. 457: hic dum sublimis versus *ructatur*
 Tum Sat. I, 9, 70: vin' tu
 curtis Iudeis *oppedere* . . [cf. κατα πέρσειν]
 quod idem valet atque „contemnere“.

Denique Sat. II, 7, 52: nec ditior
 aut formae melioris *meiat* eodem. . .
 Sed de hac re satis.

§. 4.

De imaginibus ab hominum animo sumptis:

Pertractatis translationibus a corpore ductis superest, ut imagines ab animo arcessitas consideremus. Quarum longe plurimae originem e sensibus humanis trahunt. Atque incipio ab oculis; en habes exempla.

C. II, 2, 23: quisquis ingentis *oculo irretorto*
spectat acervos . . .

Vocabulum „irretorto“ a poeta nostro felicius quam audacius inventum aptissime animi aequitatem depingit.

Sat. I, 3, 25: iam supra commemoravi
 Sequitur adiectivum „caecus“ cuius exempla haec sunt:
 Sat. II, 3, 44: quemcumque inscitia veri
caecum agit

ubi mens occaecata significatur. — Praeterea fortuna, cuius arbitrio humanae permissae res sunt, caeca inducitur

Sat. II, 3, 269 si quis
 mobilia *et caeca* fluitantia *sorte* labore
 reddere certa sibi, . . .

C. II, 13, 16: neque ultra
caeca timet aliunde *fata*

His adiungo duas imagines ab audiendi sensu petitas; quae sunt.

Sat. II, 8, 38: fervida quod subtile *exsurdant* vina palatum
 Haud infacete gustatum vino mero obtundi poeta dicit
 Sequitur C. I, 12, 11: blandum et *auritas* fidibus canoris
 ducere quercus . . .

Suavissime quercus quasi auribus praeditae dicuntur, cum vatem ad fides canentem sequantur.

Sed imagines a naribus ductas conferas, quaeso, in paragraphe h. c. prima.

Tum transeo ad metaphoras gustatum spectantes.

Primum Sat. II, 5, 82: quae si semel uno
de sene *gustavit* tecum partita lucellum, . .
Hac voce Plautus iam translate usus est cf. Mostell. . . V, 1, 19;
neque minus Lucret. V, 179; immo Cicero non abhorruit, cf. de
nat. deor. I, 8, 20: primis ut dicitur labris gustare phy-
siologiam. — Sequuntur adiectiva „dulcis, amarus“, similia.

Sat. I, 3, 69: *amicus dulcis;*

ibid., 139: et mihi dulces
ignoscent

Sat. I, 9, 4: *quid agis, dulcissime rerum?*

C. I, 1, 2: *o et praesidium et dulce decus meum*

Sed ne exhibendo omnia longus fiam locos tantum
enumerabo: Epod. 2, 40: Epod. 16, 35; Sat. I, 4, 135; Sat.
II, 3, 199; C. I, 17, 10; C. I, 16, 23; C. I, 22, 23; C. I, 36, 7;
C. II, 3, 38; C. II, 6, 10; C. II, 7, 28; C. II, 13, 37; C. III, 2, 13;
Epist. I, 7, 12; Ep. I, 7, 27; Ep. I, 11, 23; Ep. I, 18, 15; Ep.
II, 2, 9; A. P., 99; A. P., 343; — Eius translationis vetustatem
confirwant loci: Enn., Annal. II, frg. 73: *dulce desiderium;*
Plaut., Asin. III, 3, 24; O melle dulci dulcior tu's; Rudens
II, 3, ³³/₃₄; Lucr. II, 893; IV, 1226; V, 21; V, 987; V. 1365;
V, 1395; VI, 4; VI, 637. — Neque mirum est Catulli carmina
quippe quae amores praecipue contineant, eiusmodi translationibus
quam maxime abundare.

Deinde Sat. I, 3, 88: *amaras*

porrecto iugulo *historias* captivus ut audit

Sat. I, 7, 7: adeo *sermonis amari*
Sisennas . . . ut equis praecurreret albis

C. II, 16, 26: *amara* lento
temperet risu

C. IV, 12, 19: *amaraque*
curarum eluere efficax

Tum Sat. II, 6, 19:

Autumnusque gravis Libitinae quaestus *acerbae*

Denique Sat. II, 2, 12:

molliter *austerium* studio fallente *laborem*

Similiter Graeci voce πέπριθος utebantur, nostri vocabulum
„przykry“ adhibent. Huius vocis usus metaphoricus iam apud
Terentium deprenditur, velut Hecyra, IV, 4, 88: „amarae mulieres
sunt“. —

His pertractatis reliquum est ut voces exhibeam, quarum propria notio ad tangendi sensum refertur. Eius generis voces praecipue nomina sunt adiectiva: „asper, durus, mollis, acer, acutus, latus“. Atque percenseamus omnia ordine, quem modo statui, servato.

Asper adiectivum hominibus tribuitur in his:

Epod. 6, 11: . . . in malos *asperrimus*

C. I, 33, 6: Cyrus in *asperam*
declinat *Pholoën* . . .

C. I, 35, 9: te *Dacus asper*, te profugi Scythaean
. metuunt.

A. P. 163: monitoribus *asper*

Eodem spectat C. III, 24, 11: *rigit Getae*
In animalia transfertur:

C. I, 23, 9: *tigris ut aspera*

C. I, 37, 26: . . . fortis et *asperas*
tractare *serpentes*

C. III, 2, 10: *asperum tactu leonem* . . .

Res inanimae ornantur:

C. I, 5, 6: et *aspera*
nigris aequora ventis

C. III, 10, 2: me tamen *asperas*
porrectum ante *foris* . . .
plorares . . .

C. III, 24, 53: et tenerae nimis
mentes *asperioribus*
formandaे *studis*

Ep. I, 2, 21: *aspera* multa
pertulit . . .

Ep. II, 1, 7: *aspera bella*
componunt . . .

Sequitur „durus“ adiectivum, cuius vestis tralaticia colorum varietate animos delectat. Transfertur enim in homines ea ratione a) laboris patientem, interdum rusticum significat:

Sat. I, 7, 29: *durus vindemiator* . . .

C. II, 12, 2: *durum Hannibalem*

Cum metonymia quadam C. IV, 14, 50: *duraeque tellus audit*
[Hiberiae]

Eodem pertinet: Epod. 3, 4: *o dura messorum ilia.*

Ep. I, 7, 91: *durus*, ait, Voltei, nimis attentusque videri esse mihi . . .

Ep. I, 16, 70: sine pascat *durus* aretque

b) crudelitatem ac pertinaciam potius exprimit:

Sat. I, 2, 17: nomina sectatur . . .

sub *patribus duris* tironum

Sat. I, 7, 6: *durus homo* atque odio qui posset vincere Regem

C. III, 7, 32: . . . et te saepe vocanti

duram difficilem mane

C. IV, 1, 7: flectere mollibus

iam *durum* imperiis

C. IV, 1, 40: sequor

. . . te per aquas, *dure*, volubilis

c) idem valet atque imparem esse alicui rei:

Sat. I, 4, 8: [Lucilius] *durus* componere versus

II. Rebus tribuitur: Sat. I, 2, 6: d. fauces; Sat. I, 2, 40: *d. pericla*;

Sat. I, 10, 26: d. causa; Sat. I, 10, 57: num *dura* negarit

versiculos *natura* magis factos et euntes
molius

Sat. II, 2, 88: *d. valetudo* [quo loco valetudo debilitata

C. I, 18, 3: C. I, 24, 19; C. II, 13, 37: [significatur].

Et te sonantem plenius aures,

Alcae, plectro *dura* navis,

dura fugae, *mala dura* belli !

C. III, 11, 31: *d. ferrum* [cf. νελεής γαλανός]; C. III, 20, 3: *d. fames*; Ep. I, 1, 22: *custodia matrum*; Ep. II, 1, 141; Ep. II, 2, 46: *d. tempora*; C. IV, 9, 49: *d. pauperies*.

Tum translationes adiectivi *mollis*, quod iis oppositum est, percenseamus. Idem valet atque „timidus“

C. I, 37, 8: *columba* (cf. μολακάς); C. I, 15, 31: (*cervus*)
sublimi fugies *mollis* anhelitu

„Inertes“, atque „ignavos“ significat: Epod. 1, 10; 11, 4; 12, 15; 14, 1; 16, 37; Sat. II, 4, 34; *m. Tarentum* [cf. Ep. I, 7, 45].

„Blandi“ vim prae se fert Sat. II, 5, 32; *m. auriculae*;

C. II, 9, 17: *m. querellae*;

Idem valet atque, „mitis, humanus“: Epod. 5, 83;

C. II, 12, 3: *m. citharae modi*; C. III, 11, 43: . . . ego illis *mollior*

Sat. I, 10, 44: *molle* atque facetum |ne te feriam

Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.

Atque de his satis.

Iam transeo ad usum metaphoricum adiectivorum „acer, acutus“. Transfertur „acer“ et in homines et in animatas res et inanimas. Velut

I) in homines : Epod. 6, 14; Epod. 15, 6; Sat. I, 3, 53; Sat. I, 4, 65; Sat. II, 11; Sat. II, 5, 43; Sat. II, 8, 36; C. I, 6, 18; C. III, 5, 25; C. IV, 9, 22; Ep. II, 1, 165; A. P., 121.

II) in animalia: Epod. 2, 31; *aper*; Epod 12, 6; Epist. II, 2, 29: *lupus*

III) in res animatas : C. I. 12, 1: *tibia*; Sat. I, 4, 64: *spiritus*; Sat. II, 7, 47: *natura*; Sat. I, 10, 14: *ridiculum acri*

fortius ac melius magnas plerumque secat res

C. I, 29, 2 et C. III, 2, 2: *militia*.

Sequitur „acutus“, quod adiectivum nec in homines nec in animalia transferri ex exemplis liquet. De „voce“ dicitur C. I, 16, 7; C. I, 34, 15; C. III, 4, 3; Sat. I, 8, 41: [adverb.] *acutum* resonare [cf. Hom. ω, 5: τρίξειν]; A. P., 349. — De sensibus humanis: Sat. I, 3, 26: *cernere*; Sat. I, 3, 29: *nares*; praeterea: Ep. I, 10, 17: *sol*; C. I, 9, 4: *gelu*; C. IV, 4, 76: *acuta belli* [cf. Liv. XXXIII, 11: *aspera belli*.]

Denique „lentus“ adiectivum, cuius notio in eandem cadit rationem atque „tenax“, „flexibilis“, non multis locis invenitur metaphorice immutatum. Atque de amore :

C. I. 13, 8: quam *lensis* penitus *macerer* ignibus.

Eodem spectat Epod. 14, 16: me libertina nec uno
contenta Phryne *macerat*.

quod „macerare“ propria notione valet „mollire“

C. III, 19, 26: me *lensis* Glycerae torret *amor* meae
Huc spectat C. IV, 13, 6: et cantu tremulo pota *Cupidinem*
lentum sollicitas.

Diurnitatis vicem gerit :

Epist I, 2, 7: Graecia barbariae *lento* collisa *duello*

Item Ep. II, 2, 98: *lento* . . . *duello*

Aequum animum depingit: C. II. 16, 26: . . . amara *lento*
temperet *risu*.

Adiectivorum „durus, mollis, acer, acutus“ vis metaphorica testes vetustissimos atque gravissimos, ut ita dicam, producere potest. Velut nomen adiectivum „durus“ saepius translata quam propria ratione a Plauto, a Terentio solum translate usurpatum esse P. Langen docet in dissertatione, quae inscribitur „Über den Gebrauch der Metapher im Latein von Plautus bis Terentius“^{*)}). —

^{*)} Annal. philol. Fleckeisen t. CXXV in a. 1882.

„Mollis“ invenitur apud Catullum LXIII, 38; in quiete molli; XXV, 1: molli requiescere somno; apud Lucretium semel exstare docet Raumer I. l. pag. 43: Lucr. IV, 988: mollis quies. — „Acer“ apud Enn. Ann. I. XVI, frg. 296: acris hiems; Plaut. Trin. II, 3, 7: „acrior hiems;“ Naevius, Bell. Poen. frg. 54: fames; Lucr. III, 474; IV, 258; IV, 327; IV, 122; IV, 714; VI, 638; VI, 128; VI, 850, alia. „Acutus“ apud Enn. Annal. frg. 337: sonitus acutus; Lucr. IV, 807: „acute cernere“; IV, 800.

His expeditis imagines ab animi motibus atque affectionibus ductas enumerare par est. Prae ceteris translationes ad iram pertinentes exhibeo, quae sunt:

Sat. I, 5, 98: dein Gnatia lymphis
 iratis exstructa dedit risusque iocosque

Sat. II, 8, 5: quae prima *iratum ventrem* placaverit esca
Epod. 2, 6: nec horret *iratum mare*

Epod. 3, 5: quid hoc veneni *saevit in praecordiis* . . .

Imago ad risum movendum aptissima!

Sequitur tristitia:

Sat. I, 1, 36: simul inversum *contristat* Aquarius annum
[cf. Verg. Georg. III, 279: austus nascitur et pluvio contristat fri-
 gore caelum]

Rei publicae temporibus semel „contristare“ deprenditur apud
Caelum in Cic. epist. ad fam. 8, 9: „contristavit haec sententia
Balbum“. — Eodem referendum est:

C. I, 27, 9: voltis *severi* me quoque sumere
 partem *Falerni*? . . .

Deinde uno loco legitur cui personificationem potius subesse
puto. Itaque infra adponam.

Eadem ratione „timor“ usurpatatur:

C. II, 12, 8: unde periculum
 fulgens *contremuit* domus

Postremo pro amore ponitur:

Sat. I, 2, 33: simul ac venas inflavit *taetra libido*
cf. Lucr. IV, 1046: dira libido; Cat. 76, 26: taetrum hunc depo-
nere morbum [de amore Lesbiae].

His addere liceat duas imagines, alteram ab hominis voce
tractam, alteram a ratione sumptam. Exstant:

C. III, 29, 38: non sine montium
 clamore vicinaeque silvae

C. III, 22, 7: quam [pinum]
 verris obliquum *meditantis* ictum
 sanguine donem.

Priusquam ad finem huius capitinis perveniam, superest, ut paucas translationes a ridendo sumptas adponam. Atque

Sat. I, 10. 89: . . quibus haec, sint qualiacumque *adridere* velim....

C. II, 6, 13: ille terrarum mihi praeter omnes
 angulus *ridet*

C. IV, 4, 41: qui primus alma *risit* adorea

C. IV, 11, 6: *ridet* argento domus

Huius verbi ratio metaphorica, qua „serenus“ aut „lux amica“ specie risus depingitur, pervetusta est; [cf. Enn. Annal. frg. 315: tempestatis serenae riserunt; Lucr. I, 8: tibi rident aequora ponti; Lucr. II, 32; II, 559; III, 18, alia] neque prorsus ab usu Germanorum abhorret [cf. „lachende“ Fluren]; sed poetae Romani maiore audacia in adsciscenda ea imagine usi sunt, sicut patet ex Catulli, LXIV, 284: quo permulsa domus iucundo risit odore.

Denique exemplorum numerum permagnum perlustranti imprimis imagines a morbis tractae conspicuntur, quibus poeta modo serio, modo per iocum, ut ipsius verbis utar, „ridendo dicens verum“ plurima generis humani vitia depingit. Quibus imaginibus cum sit copiosissimus, huius ornatus rationem p[ro]ae aliis illum adamasse facile colligas. Sed cur id fecerit explanare in praesentia non est nostrum, praesertim cum tota demum orationis suppellectile cognita de singulis iudicari pro certo queat. Quod si ita est, porro tractemus materiam institutam.

Caput V.

De imaginibus a vitae privatae muneribus atque condicione tractis.

Eadem atque antea ratione hanc rerum materiem in paragraphos distribuere haud inopportunum erit, quo facilius perspiciat quibus in rebus poetae nostro mens atque cogitatio maxime versata sit. Itaque primum de hominum cotidiana condicione velut domo, vestibus agam, deinde in hominum munera ordine a rerum gestarum memoria petito inquiram ita, ut primo loco imagines ad venationem, altero ad agriculturam, tertio ad res maritimas spectantes excutiam, tum res hominum industria factas percensebo, porro pertractabimus translationes, quae ad mercaturam

exercendam pertinent, his accident nonnullae imagines a litteris artibusque liberalibus sumptae, postremo enumerabuntur puerorum lusus aliaeque hominum condiciones, quae nescio quo pacto prioribus paragraphis inseri non potuerunt. Quibus praemonitis ad rem ipsam redeo.

§. 1.

Imagines ad vitam cotidianam, velut domicilia, vestimentum, convivia spectantes.

Iam primum occurrit „domus“ pro philosophorum schola metaphorice posita. C. I, 29, 14: Socraticam et domum mutare loricis Hiberis tendis

Alio loco Albuneae specus domus specie induitur

C. I, 7, 12: Nec tam Larisae percussit campus opimus quam domus Albuneae resonantis

At C. I, 6, 8: Saevam Pelopis domum; C. III, 3, 26: Priami domus; C. III, 16, 12: auguris Argivi domus; Epist. I, 9, 4: domus Neronis, honesta, aliis locis metonymia potius conspicitur.

Sequuntur imagines a vestibus tractae. Toga, quae Romanorum est peculiarissima, ut ita dicam, aliquod imagines habet, velut

Sat. II, 3, 77: audire atque *togam* iubeo *componere*

Ad h. I. Porphyrio adnotat: „Quia hi diligentius audiunt, qui cultu concinni sunt“. Ceterum non possum non concedere h. I. et metonymiam quandam subaudiri.

Sat. I, 2, 63: quid inter

est in matrona, *ancilla* peccesne *togata?*

ibid. v. 82: tenerum est femur aut crus

rectius, atque etiam medius persaepe *togata est?*

„Togata“ meretriculam significat; his enim nec stolam nec pallam, quae vestis matronarum erat propria, induere umquam licuit. Meretrices autem atque mulieres publico iudicio damnatae vel in adulterio deprehensae toga indutae, quo facilius agnoscerentur, prodire solebant.

Deinde adiectiva „cinctus“, „discinctus“ in his exemplis leguntur:

Sat. I, 5, 6: Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos *praecinctis* unum

quod pedites tunicis *praecinctis* expeditiores fiunt.

Epod. I, 34: *discinctus* aut perdam nepos
a veste ad mores translatum [cf. Germ. ein „lockerer“ Zeisig].

Sat. II, 1, 73: nugari cum illo et *discincti* ludere
H. I. vis translata vix iam sentitur. praesertim quod domi tunica
discinci solebat.

Tum „amicire, obvolvere“, similia singulis binisve exemplis
exhibentur:

C. I, II, 31: nube carentis umeros *amictus*
augur Apollo.

Ep. I, 16, 3: . . . ne perconteris, fundus meus . . .
arvo pascat erum . . . an *amicta vitibus ulmo*
quod vites claviculis inhaerescunt arborei.

Praeterea Sat. II, 7, 41: verbisque decoris
obvolvas vitium . . .

Porro virtute sese sicut veste quadam indui poeta
ait C. III, 29, 55: et mea
virtute me *involvo* . . .

Tum demum ornatus poeticus cum purpureo togae clavo
comparatur

A. P. 15—17: inceptis gravibus plerumque et magna professis
purpureus, late qui splendeat, unus et alter
adsuitur pannus . . .

Ex Kiesslingii comparatione huius loci cum Demetr. Phal. πὶ ἐπυργεῖς c. 108 colligi nequit Horatio imitationi fuisse Deme-
trium, quoniam ex multis ipsius libri locis falso eum Demetrio
Phalereo tribui patet.

Restat, ut in hac exemplorum serie translationes proferam,
que in adiectivo, „sordidus“ exstant.

In avaros transfertur

Sat. I, 1, 96: ita *sordidus*, ut se
non umquam servo melius vestiret . . .

Sat. I, 1, 65: sordidus ac dives . . .

Sat. I, 2, 53: *sordidus* a tenui victu distabit

Sat. II, 3, 164: non est periurus neque *sordidus* . . .

C. II, 16, 16: nec levis somnos timor aut cupido
sordidus aufert

Pro „turpi“ ponitur

C. III, 2, 17: virtus repulsae nescia *sordidae*

His adnectendae sunt translationes ab unguentis petitiae.

C. I, 15, 20: . . . serus adulteros
crinis pulvere *collines* . . .

cf. II. Γ' 55: ὅτεν κονίησι μητέης; ibid. II, 795; Verg. Aen. XII, 99; Ovid., Trist. I, 3, 93.

C. II, 1, 5: arma

nondum expiatis *uncta* cruoribus

In ipso huius paragraphi fine adpono imaginem a convivio arcessitam, quae exstat Epist. II, 2, 215/216:

Tempus abire tibi est, *nepotum largius aequo*
rideat et pulset lasciva decentius aetas.

Vita humana cum convivio comparatur aptissime [cf. Sat. I, 1, 119, de quo loco infra]; siquis fructus vita erit, decedat ut conviva, cum satis ederit atque biberit.

Sed hac super re satis me dixisse puto; quare porro rem tractare necesse est.

§. 2.

Translationes ab hominum affinitate atque necessitudine ductae.

Vox „patris“ interdum metaphorica adaugetur potestate velut
Sat. I, 3, 126: non nosti, quid *pater* . . .

Chrysippus dicat

Sat. II, 1, 12 cupidum, *pater optime*, vires deficiunt

Sat. II, 8, 7: leni fuit austro
captus, ut aiebat, *cenae pater* . . .

Ep. I, 19, 7: *Ennius ipse pater* . . .

Item „mater“ semel deprenditur

Sat. I, 3, 98: atque ipsa utilitas iusti *prope* mater et aequi

Tum carmine illo libri primi XIV. pinus, silvae filia ornatiissime appellatur

C. I, 14, 12: Pontica pinus

silvae *filia* nobilis

Quae imago exemplo videtur fuisse Martiali in Epigr. XIV, 90:
(de mensa) silvae filia Maureae.

Sequitur Sat. II, 3, 244: . . . par nobile fratrum

nequitia et nugis pravorum et amore *gemellum*

Praeterea patruus, qui comoediae quasi perpetua est figura,
eadem atque in fabula ratione pro homine obiurgante ponitur.

Sat. II, 3, 88: sive ego prave

seu recte hoc volui, ne sis *patruus* mihi

Huc spectat imago, quae stat in vocabulo „nepos“. Quae cum
et prosae orationis propria sit, in satiis atque singulis locis
Epodorum et Epistularum invenitur. Velut

Epod. I, 34: discinctus aut perdam *nepos*

Sat. I, 4, 49: pater

saevit, quod meretrice *nepos* insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset

Sat. I, 8, 11: Nomentanoque *nepoti*

item Sat. II, 1, 22: Nomentanumque *nepotem*

Sat. II, 1, 53: . . . Scaevae vivacem crede *nepoti*
matrem

Sat. II, 3, 225: vincet enim stultos ratio insanire *nepotes*

Ep. I, 15, 36: ut ventres lamna candente *nepotum*
diceret urendos . . .

Ad haec accedunt translationes a matrimonio sumptae,
quarum numerus haud exiguus legitur.

Atque de capris C. I, 7, 7: . . . olentis *uxores* mariti

Deinde Epod. 2, 10: adulta vitium propagine
altas maritat populos

Quae imago apud agricolas Romanos usitata erat. cf. Cato. 32: arbores facito, ut bene maritae sint. — Ornatus autem adsiciscitur C. IV, 5, 30: et vitem *viduas ducit ad arbores* sicut sponsae pater novam nuptam ad maritum adducit.

Tum C. II, 9, 8: . . . *foliis viduantur orni*

C. II, 15, 4: *platanusque caelebs*
evincet ulmos.

Platanus „caelebs“ dicitur, quod non cingebatur vitibus sicut ulmus et populus.

Tum demum „dos“ uno loco ornatum orationi
praebet C. III, 29, 56: *probamque*
pauperiem sine dote quaero

Huic loco brevior quaedam similitudo inhaeret: sicut enim honestam uxorem sine dote, ita probam pauperiem quaero. — Sed ea hactenus.

Iam ex ordine nobis constituto imagines, quae ad venationem spectant, explanare par est.

§. 3.

Translationes a venatione petitae.

Ipsa venandi notio metaphorice adumbrata bis legitur in epistulis, velut

Ep. I, 1, 78: sunt qui

crustis et pomis *viduas venentur avaras*
excipientque senes, quos *in vivaria* mittant.

De vivariis cf. Colum. VIII, 1: „pecudum silvestrium quae nemoribus clausis custodiuntur vivaria“.

Ep. I, 19, 37: non ego ventosae plebis *suffragia* venor
Item „sectari“ et „iaculari“ exstant

Sat. I, 2, 16: *nomina sectantur* modo sumpta veste virili
sub patribus duris tironum

C. II, 16, 17: quid brevi fortis *iaculamur* aevo
multa . . . ?

quasi vitam beatam venemur cf. τοξεύω apud Eurip. Hecabe, 603; Schiller, Glocke: Muss wetten und wagen
das Glück zu erjagen.

Sequuntur translationes, quae „plagas tendere“ proprie significant:

Sat. I, 2, 88: (equos) . . . opertos
inspiciunt, ne si facies, . . . decora
molli fulta pede est, *emptorem inducat hiantem*,

Quam imaginem huic rerum orbi adscribendam esse palet ex
Donati ae Terentii Andr. I, 2, 9 adnotatione: „induci ut ferae
in retia“. Sicut enim ferae plagis capiuntur, ita emptor decipitur.

C. III, 16, 15: munera navium
saevos *illaqueant* duces.

Accedit Sat. I, 4, 83: solutos
qui *captat risus* hominum famamque
[dicatis

Plagas hoc quoque respicit: Sat. II, 3, 70: adde Cicutae
nodosi tabulas centum.

Dictio „laqueos fugiendi“ transfertur

Sat. I, 3, 88: qui nisi cum tristes misero venere Kalendae
mercedem aut nummos undeunde *extricat* . . .
cf. „extricare“ proprie adhibitum C. III, 5, 31: „extricata densis
cerva plagis“.

Ad piscandum referenda sunt: Sat. II, 5, 25 et Sat. II, 5, 44,
quae exempla iam supra enumeravi.

Quibus expositis superest, ut allegoriam huc spectantem
proferam. Exstat

C. III, 20, 1—10: Non vides, *quanto moveas periclo*
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
dura post paullo fugies inaudax
proelia raptor.

His versibus continetur amantium de pulchro quodam adulescente certamen pugnae specie venatoris cum atroci leaena
Quae allegoria v. 5 missa v. 9 deinceps suscipitur.

*interim dum tu celeris sagittas
promis, haec dentes acuit timendos . . .*

Denique de imagine, quae hos versus sequitur, in capite VI. fusius disputabimus. Sed iam ad rem rusticam transire oportet.

§. 4.

Dictiones, quae ad agri culturam spectant, metaphorice illustrantur.

Operae conducti cum pecunia comparantur, quam quisque mutuam sumpsit,

Sat. I, 2, 9: omnia *conductis* coemens obsonia *nummis*
cf. Porphyr. ad h. l.: „Fenore sumptis eleganter dixit, sicut conducti operaे dicuntur ei, quibus merces ob opus praestatur“.

Ad agrum ipsum pertinent

Epod. 8, 4: et rugis

frontem senectus exaret

sicut agri ab agricolis.

Ep. I, 3, 22: non tibi parvum

ingenium, non incultum est aut turpiter hirtum,

Ep. I, 18, 86: dulcis inexpertis *cultura* potentis amici,
expertus metuet . . .

„Cultura“, quod vocabulum proprie de agro dicitur, h. l. valet studium in colendo potentiore amico positum Quae metaphora adhuc non usitata ab Horatio facta videtur esse; sententia vero referenda est ad Pindar. frg. 87 B.: γλωκὴ δ' ἀπειρουσαν πόλεμος,
πεπτυραμένων δὲ τις παρβεῖ προστάντα νῦν.

Ad herbas inutiles amovendas spectant

Sat. I, 3, 37; *neglectis urenda filix innascitur agris*
de vitiis expellendis ornatius dicitur. — Eodem spectant:

C. III, 24, 51: *eradenda* cupidinis

pravi sunt *elementa* . . .

Ep. I, 14, 4: certemus *spinas animone* ego fortius an tu
evelles agro

Ab agro frugifero petuntur

C. II, 1, 29: quis non Latino *sanguine pinguior*
campus . . .

cf. Archiloch. frg. 148B; Verg. I, 492.

C. III, 6, 16: *fecunda culpae saecula nuptias*
primum inquinavere . . .

Sequuntur translationes a metendo sumptae.

Atque Sat. I, 2, 46: accidit ut quidam testes caudamque salacem
demeteret ferro.

Epist. II, 2, 178: . . . si metit *Orcus*

grandia cum parvis non exorabilis auro . . .

Ad h. l. Kiesslingii lepidissimum exstat, quod ne proferrem integrum, frustra obniterer: „Sind die Menschen der Erde entstammt wie die Frucht des Feldes, so sinken sie im Tode hin, wie die Ähren unter der Sichel des Schnitters; dieses dem Vorstellungskreise der Mysterien entstammte griechische Bild, am prägeantesten in den berühmten Worten des Amphiaraus Eurip., Hypsipyle, frg. 757 N.: „ἔφυ μὲν οὐδεὶς ὄστις οὐ πονεῖ βροτῶν, θάπτει τε τέκνα γάτερα κτάται νέκ, αὐτούς τε πυγμαῖς καὶ τάδ' ἔχθονται βροτοί εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαῖως δ' ἔχει βίον θεριζειν ὄστε πάρπαγον στάγην hat in der italischen Phantasie sich mit dem Bilde des die Menschen verfolgenden und niedermetzenden Todesgottes, des Orcus, enge verschmolzen.“.

Cuius imaginis vetustatem testantur: Enn. Iphig. frg. 124 [Vah.]: ubi mortis thesauri obiacent; Gell. I, 24, 2 (de Naevii poetae elogio): Postquam est Orci traditus thesauro; Accius (p. 124 Ribbek) „Orci messis“.

C. IV, 14, 31: primosque et extremos *metendo*

stravit humum [Claudius Nero]

cf. Hom. A, 67: οὐ δ', ως τ' ἀμιτῆρες ἐναντίοι ἀλλήλουσα,
σῆμον ἐλαύνωσιν, . . . τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει,
ώς Τρωεῖς καὶ Ἀγαστοὶ επ' ἀλλήλοισι θορόντες
δύρουν. — Verg. Aen. X, 513: proxima quaeque
metit gladio;

Stat. Theb. I, 632: mors fila sororum ense metit.

Eodem pertinent verba „carpere, decerpere:“

Sat. I, 3, 21: Maenius absentem Novium cum *carperet*

C. IV, 9, 33: neque . . . tuos patiar labores

· impune, Lolli, *carpere* lividas

obliviones . . .

Alia metaphora subest in his:

C. I, 11, 8: *carpe diem . . .*

Praeterea pro verbo „eundi“ ponitur

Sat. I, 5, 95: utpote longum

carpentes iter

Sat. II, 6, 93: *carpe viam*, mihi crede, comes . . .

C. II, 17, 12: *supremum carpere iter
comites parati . . .*

„Decerpere“ praebet exemplum hocce:

Sat. I, 2, 79: unde laboris

plus haurire mali est quam ex re decerpere

Simili ratione Graecum „ἀρπάζειν“ usitatur. [fructus.]

Longe autem aliter „excerpere“ pro „eximendo“ ponitur.

Sat. I, 4, 40: primum ego me illorum, dederim quibus esse
excerpam numero . . . [poetis]

Accedunt „vellicare“ et „pervellere“, singulis exemplis

illustrata: Sat. I, 10, 79: aut cruciet quod
vellicet absentem . . .

Sat. II, 8, 9: radices, qualia lassum
pervellunt stomachum . . .

Tum seges et fruges tralaticia potestate instruuntur

Ep. I, 7, 21: prodigus et stultus donat quae spernit et odit;
haec seges ingratis tulit et feret omnibus annis

cf. Aristot., rhetor. III, 3. ταῦτα αἰσχρῶς ἔσπερας οὐκῶς δ' ἐθέριας.

A. P., 341: centuriae seniorum agitant *expertia frugis* [car-
His adiungenda sunt mina]

Sat. II, 2, 114: integris opibus novi non latius usum
quam nunc *accisis*

„Accedere“, quod verbum de arboribus proprio dicitur, h. l. demi-
nuendi speciem prese fert.

Praeterea „compescere“ agricolarum est;

C. II, 20, 23: *compesce clamorem*

similem imaginem apud Lucretium videmus III, 953: compesce
querellas“.

Epist. I, 2, 123: *compescet luxuriantia*

cf. Graece: κυλαζειν τὰ δίνδηρα

A. P., 293: quod non

multa dies et multa litura *coērcuit*

Utraque dictio in carmen transfertur.

Tum demum duas translationes numero, quae ad vini-
torum condicionem referendae sunt. Atque videmus

Sat. I, 3, 123: et magnis parva mineris
falce recisurum simili te . . .

A. P., 447: *ambitiosa recidet*
ornamenta . . .

Priusquam ad finem huius paragraphi perveniam, eiusdem generis allegoriam adponere liceat.

Sat. I, 1, 52 : *dum ex parvo nobis tantundem haurire reliques,
cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?*

„Granaria“ enim divitum possesorum horrea, „cumeri“ appellabantur capsae plerumque saligneae, quibus agricolae frumentum seponebant.

His enumeratis iam rem nostram porro tractemus.

§. 5.

Imagines a rebus maritimis sumptae.

In hanc materiem inquirenti primo loco commemoranda videtur esse imago, qua vita humana navigationis specie depingitur. Exstat

Ep. II, 2, 200—202 : ego utrum
*nave ferar magna an parva, ferar unus et idem,
non agimur tumidis velis aquilone secundo
non tamen adversis aetatem ducimus austris.*

Hanc imaginem, cui eadem inest sententia atque ei, quam in fine paragraphi prioris protuli, Horatius videtur adamasse. Nam persaepe in libris eius invenitur, quotienscumque auream mediocritatem commendat et monet, ne qua modum excedamus; cf. C. I, 5, 13; C. I, 34, 3; C. II, 10, 1; C. III, 2, 28; C. III, 29, 62; Epist. I, 1, 92.

Eodem spectant

C. I, 34, 3 : *nunc retrorsum
vela dare atque iterarc cursus
cogor relictos . . .*

In carmine ab omni imitatione alienissimo casum quendam divinum sibi accidisse narrat, quo adductus esset, ut deos rursus colere inciperet.

Epist. I, 1, 16: quo me cumque *rapit tempestas deferor hospes* H. I. Horatius sese uni alterive philosophiae disciplinae addictum esse negat, sed adscita imagine, quae apud aequales Graecorum philosophos usitata erat, dicit se ex omnibus, quae utilissima viderentur et rectissima, in vitae usum convertere. Similis imago occurrit apud Ciceronem, Acad. II, 3, 8 : „ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhaerescunt“.

Tum in potentioris amici gratiam adipiscendam transfertur :
 Ep. I, 18, 87 : tu dum tua navis in alto est,
hoc age: ne mutata retrorsum te ferat aura

Dictio „vela contrahendi“ has praebet translationes ;

C. II, 10, 22—24 : sapienter idem
*contrahes vento nimium secundo turgida
 vela . . .*

Hac quoque imagine poeta monet, ut auream mediocritatem sequamur.

C. IV, 15, 3 : *ne parva Tyrrhenum per aequor
 veta darem . . .*

Optime Nauckius h. l. interpretatur : „Die kleinen Segel sind das Bild der kleinen Weisen, das Tyrrhenische Meer das Bild des grossen Tatenfeldes“. Simili translatione Propertius usus est in El. III, 9, 3 : „quid me scribendi tam vastum mittis in aequor? non sunt apta meae grandia vela rati“.

Sequitur „natare“, quod in duobus exemplis deprenditur ;
 Sat. II, 7, 7 : pars multa *natat modo recta capessens,*
interdum pravis obnoxia . . .

qu. l., „animi pendere, haesitare“ valet : cf. Seneca, epp. 35 :
 mutatio voluntatis indicat animum natare ; Cic., de nat. deor.
 III, 24, 62 : magis tu mihi natare visus es quam ipse Neptunus.
 Sat. I, 4, 120 : . . . simul ac duraverit aetas

membra animumque tuum, *nabis sine cortice.*
 quae translatio in proverbium abierat.

Eodem spectat „fluitare“

Sat. II, 3, 169 : si quis
*mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
 reddere certa sibi*

Ep. II, 18, 110 : neu *fluitem* dubiae spe *pendulus* horae
 sicut ratis in alto.

Tum, naufragium metaphorice adauictum appetet in Sat.
 II, 3, 19 : postquam *omnis res mea* Ianum
ad medium fracta est, aliena negotia curo
excussus propriis (de Damasippo diruto).

Denique reliquum est, ut tres allegorias adponam.
 Atque C. II, 10, 1—4 : cum iam supra commemoraverim, h. l.
 praetermittendam esse censeo. — Tum a naufragis petitur

C. I, 5, 13—16 : *me tabula sacer
votiva paries indicat uida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo.*

Solebant enim, qui naufragio divina ope erepti erant, in templis deorum marinorum tabulam votivam et vestimenta, quibus, cum naufragium facerent, erant induti suspendere (cf. Sat. II, 1, 33 : A. P. 20).

In ipso huius paragraphi fine allegoriam profero qua vix ulla magis fuit opportuna ac suavis, dico C. I, 14.

Quod carmen iam Quintilianus, lepidissimus ille iudex, in Institut. VIII, 6, 44, allegoriae exemplum attulit verbis hisce : „Allegoria fit . . . plerumque continuatis translationibus ut O navis . . . portum . . . totusque ille Horatii locus, quo navem pro re publica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit“. Quamquam negari non potest poetae nostri animo obversatum esse Alcaeum illud Ἀλκαιόν τῶν ἀνέμων στόλοιν et Theognidem v. 667 iam simili imagine usum esse, tamen cum iis facere nullo modo possum, qui Horatium h. l. totum ex exemplaribus Graecis pendere censeant. Ut alia praetermittam, locus ille timentium, ne navis frangatur, alter ab altero depingitur. Alcaeus nautam trepidantem in ipsa navi fluctibus iactata collocavit, Horatius vero hominem quendam in litore stantem induxit, qui misericordia captus navem tempestatibus agitatam undisque paene obrutam demersamque videt. — Quin fuerunt etiam qui allegoriam huic carmini inesse prorsus negarent, velut Bentleyus, Muretus et nostris temporibus, ni fallor, Zange-meister, sed equidem hanc litem sub iudice esse maluerim. Unum pro certo habere possumus dictiones poeticas ab Horatio de communi, ut ita dicam, posse esse haustas, at rem ipsam Horatiani plectri propriam esse. Quae cum ita sint, hac allegoria suavissima ingenii sui quasi cumulum videtur attulisse.

Sed iam rem institutam ut continuem, moneor.

§. 6.

De rerum hominum industria factorum usu metaphorio.

Primum commemorandae videntur voces a textrino ac laniificio petitiae, velut

Sat. I, 10, 44: forte epos acer
ut nemo Varius ducit

Sat. II, 1, 4: putat

mille die versus *deduci* posse . . .

C. III, 30, 13: princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos . . .

Epist. II, 1, 76: indignor quicquam reprehendi non quia *crasse compositum* inlepidique putetur

Huic exemplo oppositum est

Ep. II, 1, 225: cum lamentamur non apparere labores
nostros et *tenui deducta poemata filo*

Similem translationem Lucretius iam haud raro adhibuit, cf. De r. n. II, 340: non omnibus omnia prorsumesse pari filo similique affecta figura, V, 572: forma solis debet filumque videri. — V, 578, aliis locis.

A. P. 129: rectius Iliacum carmen *deducis* in actus

Hae imagines, quas ad carmina condenda transferri manifestum est, apud poetas Romanos praecipue eos, qui Augusti aetate vi-
gebant, pervulgata erant. Ut ex ingenti exemplorum numero pauca
adferam, habes Ovid. Trist. I, 11, 17: tamen ipse trementi Car-
mina ducebam qualiacumque manu, Epist. ex Ponto I, 5, 13:
luctor deduceret versum. Metam. I, 1, 4: perpetuum deducere car-
men; Prop. I, 16, 41: saepe novo deduxi carmina versu.

Eadem inest imago Sat. II, 4, 9:

quo pacto cuncta tenerem

utpote *res tenues, tenui sermone peractas*

Sat. II, 3, 2: membranam poscas, scriptorum quaeque *retexens*
iratus tibi . . .

Quae imago Penelopae telam in memoriam revocat.

Superest C. I, 11, 7: . . . et spatio brevi

spem longam reseces

sicut filum. — Ex liberae rei publicae poetis Lucretius uno loco
eam imaginem in carmina videtur transtulisse. De r. n. VI, 42:
inceptum pertexere dictis.

Sequuntur translationes a marmorariis statuarumque artificibus
sumptae. Atque

Sat. I, 4, 121: sic me

formabat puerum dictis

ornatus pro „erudiebat“ positum.

Sat. I, 10, 37: dumque

defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo

„Defingere“, quod verbum rarius adhibetur, per ludibrium quod-

dam dictum lepidissime cum adiectivo „luteum“ coniungitur. — Deinde

Sat. I, 5, 32: Capitoque simul Fonteius *ad unguem factus homo . . .*

Ep. II, 2, 122: *nimas aspera sano levabit cultu . . .*

A. P., 294: *praesectum deciens non castigavit ad unguem*
Omnia quae modo protuli exempla a marmorariis petuntur, quippe
qui marmor num satis leve ac perpolitum sit, ungue potissimum
examinare soleant. — Praeterea huc pertinent

Ep. II, 1, 72: pulchraque et *exactis* nimium distantia miror
cf. Ovid. Metam. I, 406: forma hominis, uti de marmore coepo
non exacta satis, rudibusque simillima

Ep. II, 2, 8: *verna idoneus arti [signis*
cuilibet, argilla quidvis imitaberis uda . . .

cf. Persius 3, 23: (de homine ad erudiendum facili): „*udum et molle lutum es*“.

Denique duas adpono allegorias, quarum altera ab opere
figlino, altera a fingendi arte petitur.

A. P., 21: *amphora coepit*
institui: currente rota cur urceus exit?

Quae imago valet: Si excelsum carmen te facturum esse promittis,
cur ab initio celeberrimo longe recedis et praeter spem ad humile
dicendi genus prolaberis?

Postremo allegoriam adfero, quae exstat in carmine illo ce-
lebratissimo singularemque animi poetae prodit altitudinem.
Atque C, III, 30, 1-5: *Exegi monumentum aere perennius*
regalique situ pyramidum altius
quod non imber edax, non Aquilo impotens
possit diruere aut innumerabilis
annorum series et fuga temporum.

Cui imagini nihil habeo, quod adiungam; sicut enim picturae
quaedam singulares, si propius ad contemplandum accesseris, quasi
attenuari videntur, spatio quodam intericto animum mentemque
oblectant et tamquam permulcent, ita vis colorque poeticus sen-
tiuntur potius quam explicantur.

Iam ad alias artes trauseo. Atque

C. IV, 9, 14: non sola comptos arsit adulteri
crines et *aurum vestibus inlithum*
mirata [Helena]

H. I. aurum vesti intextum, proinde ac si pictum fuerit, proponitur.

Ad musica spectant: C. I, 15, 15:

. . . grataque feminis

imbelli cithara *carmina divides*

Ep. I, 18, 59: quamvis nil *extra numerum fecisse modumque curas* . . . [cf. Graecum παράθυμιν]

„Dividere“ proprie valet idem atque Graecum μελίσσειν, h. i. „canere“ significat. — Epist. II, 2, 144: nimirum sapere est . . .

sed verae *numerosque modosque ediscere vitae*

cf. Plato, Laches, p. 188 D.: ἡρμητέοντος αὐτὸς αὐτοῦ τὸν βίον ἔμμενον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα . . . ἀρμονίαν καλλιστῆν ἡρμηνεύοντος; Plat., Protag. 326 B: πᾶς γάρ ὁ βίος τοῦ σὺνθρώπου εὑρισκίας τε καὶ εναρμοτικῶν δεῖται. — Denique.

Ep. I, 14, 31: quid nostrum *concentum dividat*, audi.

cf. Cicero, de offic. I, 40: melior actionum quam sonorum concentus.

Tum fabrorum munera enumerare liceat.

Sat. I, 4, 119; simul ac *duraverit aetas*

membra animumque tuum, nabis sine cortice.

„Durandi“ verbum iam a Lucretio saepius translate quam proprie usitatur, cf. De r. n. III, 809: durare aetatem per omnem; V, 57,

C. I, 35, 39; . . . o utinam *nova* aliis locis.

incude diffingas retusum in

Massagetas Arabasque ferrum.

A folle sumptae sunt imagines hae.

Sat. I, 4, 19—20: at tu *conclusas hircinis follibus auras usque laborantes, dum ferrum molliat ignis.*

Cuius imaginis argumentum: „tu quam plurimos poteris, versus turgidos scribere studeas“. Hunc locum imitati videntur esse Luvenalis et Persius; cf. Juven. Sat. 7, 111: tunc immensa cavi spirant mendacia folles; Pers. V: „tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, folle premis ventos“ ad hominem igitur loquacem multorumque librorum scriptorem transfertur.

Sat. II, 5, 98: *crescentem tumidis infla sermonibus utrem*

His addo Ep. II, 2, 92: mirabile visu

caelatumque novem musis opus!

A. P. 441: delere iubebat

et male tornatos incudi reddere versus

tamquam versus metallum esset. cf. Ovid., Trist. I, 7, 29:

ablatum mediis opus est incudibus illud,

defuit et scriptis ultima lima meis.

Imago id temporis vulgata cf. Crinagorae de Hecale Callimachea iudicium, quod exstat in Anthol. Pal. IX 546: *καλλιμάχου τὸ τορεντὸν ξέπος τύθε.*

Sequitur limandi notio metaphorice immutata in his :

Sat. I, 2, 62; rem *patris oblimare*, malum est ubicumque Equidem Porphyronem sequor, qui interpretatur „conterere“ significatione ab „lima“ derivata.

Sat. I, 10, 65: comis et urbanus fuerit *limatior idem*
ibid. v. 69: *detereret sibi multa . . .*

Ep. I, 14, 37: *non istic obliquo oculo mea commoda quisquam limat*, non odio obscuro morsuque venenat.

Haud infacete adscita, si annominationem respicias, quae inest dictioni „obliquo oculo limare“ idem significanti „atque limis oculis“.

His expositis imagines ab architectura sumptas percensere oportet. Velut

C. II, 3, 19: . . . *exstructis in altum divitiis* potietur heres.

C. III, 5, 45: donec *labantis consilio patres firmaret*

C. III, 10, 10: *ne currente retro funis eat rota*

Imago ab hominibus molem aliquam machinae rota instructae ope in sublime trahentibus petita est. Iis enim saepe vel machinae manubrium e manibus elabitur, quo facto retro currente rota retro it funis deciditque trahenda moles. Monet igitur Lycen, ne eximia pulchritudine elata nimium fortunae credat, quae „retro currente rota“ facile mutari possit. Ceterum eam imaginem ut Horatius saepius animadverteret, facile fieri potuit, eo magis quod Romae id temporis plurima aedificia exstrebantur.

Ruina metaphorice adumbratur.

C. II, 1, 32: . . . auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae,

C. II, 17, 8: ille dies *utramque*
ducet ruinam . . .

C. III, 5, 40: o magna Carthago *probrosis*
altior Italiae ruinis . . .

Sed priusquam hunc gyrum relinquamus, allegoriam adponere haud alienum. Exstat

C. III, 24, 5–7: si *figit adamantino*
summis verticibus dira Necessitas
clavos . . .

Quae allegoria Necessitatis vel, ut Graece dicam Ἀνάγκης voluntatem significat certam, quae mutari nequit nostrisque studiis certos fines et terminos constituit.

Deinde a molibus Ievandis petitae sunt imagines:

Sat. I, 1, 4: *gravis annis*
miles ait

Sat. II, 7, 20: *qui iam contento, iam laxo fune laborat*

Alii alium huius imaginis fontem esse dicunt. Evidem cum iis facio, qui ex oneribus sublevandis depromptam esse metaphoram iudicent; cf. C. III, 10, 10, de quo loco paullo antea disputavimus. Item conferri potest Lucian. Dial. mor. 3 (286) extr. ὥρα μῆ κατὰ τὴν παρεμβάσιν ὑπέρηξωμεν πάνυ τείγουσαι τὸ καλώδιον.

Porro Ep. I, 17, 39—41: hic onus horret
ut parvis animis et parvo corpore maius
hic subit et perfert . . .

ad eos, qui virtutis gloriam adpetunt, translatum.

Sat. II, 2, 78: *quin corpus onustum*

hesternis vitiis animum quoque praegravat una

Ep. II, 1, 13: *urit enim fulgore suo, qui praegravat artes inter se positas . . .*

Cum h. l. conf. Theocr. εδ. 17, 95: ἀλβῷ μὲν πάντας καταβεῖρίθει.
βασιλέας; item 7, 146:

A. P., 39: . . . et versate diu *quid ferre recusent,*
quit valeant umeri . . .

Sequuntur aliquot imagines a tonsoribus petita

Epod. 16, 54: ut neque largis

aquosus Eurus arva radat imbris

Sat. II, 6, 25: sive Aquilo radit terras

C. IV, 4, 57: duris ut ilex *tonsa*^{*)}) bipennibus

Iam ad imagines transeo, quae a medicorum muneribus praebentur. Fomenta igitur metaphorico adornantur colore in his:

Epod. 11, 17: ut haec ingrata ventis dividat

fomenta volnus nil malum levantia

Fomenta h. l. quaerellarum vicem gerunt.

frigida curarum fomenta relinquere posses

Curae animum refrigerantes quasi frigida fomenta inducuntur.
Chirurgiam potius, quae vocatur, hae imagines spectant:

^{*)} de capillis in arborum frondes translatis cf. Cap. IV s. 1

Sat. I, 2, 14: *quinas hic capiti mercedes exsecat*
de magno faenore facete dicitur.

Sat. I, 3, 76: denique, quatenus *excidi* penitus vitium irae
cetera item nequeunt stultis haerentia . . .

C. III, 24, 34: si non suppicio *culpa reciditur* . . .

Ep. I, 2 9: Antenor censet belli *praecidere causam*
tanquam membrum aegrotans; cf. Quintil. VIII, 3, 75: ut medici
ab alienata morbis membra praecidant.

Ep. I, 3, 31: *an male sarta*
gratia nequ quam coit et rescinditur . . .

a vulnere male consuto ob eamque rem recrudescente imago
fluxit. - Huc pertinet

Ep. II, 2, 53: quae poterunt umquam satis *expurgare cicutae*
Ad quem locum Porphyrio adnotat: quod tandem inquit elleborum
satis erit ut expurget insaniam. Cicutam enim pro ellebore posuit.

Sequuntur imagines, quae singulis binisve exemplis stant,
velut scribarum munus

Sat. I, 10, 72: *saepe stilum vertas*, iterum quae digna legi sint
scripturus . . .

nam mutanda stilo verso delebantur.

A. P. 446: incomptis *adlinet atrum*
transverso calamo signum.

Pistorem spectat

Sat I, 2, 35: *aequum est* non alienas
permolere uxores . . .

Aquaes autem ductus

A. P., 53: et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadant, parce detorta . . .

Cuius imaginis vetustatem probat Catonis Orig., frg. 2, 18. (ed.
Jordan, pag. 12): „marrucini de Marso detorsum nomen.

Sed ad finem properanti superest, ut commemorem translationes a culina et coquendo arcessitas. Sunt igitur:

Sat. I, 3, 56: at nos virtutes ipsas invertimus atque
sincerum cupimus vas incrustare . . .

Ep. I, 2, 54: *sincerum est nisi vas, quodcumque infundi acescit*
Animae cum vase comparatio ad Platonem est referenda; cf. Plat.,
Protag. 314 B: μαθήματα δὲ οὐκ ἔστιν ἐν θλαψίᾳ ἀγγεῖῳ ἀπενεγκεῖν,
ἀλλ’ ἀνάγκη πατεσθέντα τὴν τύχην τὸ μάθημα εἰν αὐτῇ τῇ φυσιᾳ λαβόντα . .
ἀπένται γη βεβλασμένον τῷ φελημένῳ; item Lucr. VI, 17: intellegit ibi
vitium vas efficere ipsum.

Epist. I, 2, 69: quo semel est *imbuta recens servabit odorem testa diu.*

Imago apud philosophos aequales pervulgatissima.

Ep. I, 3, 14: an tragica desaevit et *ampullatur in arte?*

Verbum „ampullandi“ ab Horatio inventum ad sublimiorem tragediae sermonem transfertur.

A. P. 97: proicit *ampullas* et sesquipedalia verba, „ampulla“, Graece λήκυθος, „ollam“ proprie significat.

Tum demum Sat. II, 5, 55: . . . plerumque *recactus scriba ex quinqueviro* corvum deludet hiantem

Sat. I, 10, 3: . . . at idem, quod *sale multo urbem defricuit, charta laudatur eadem . . .*

de Lucilio dicitur; cf. Persii quoque I. 114: „secuit Lucilius urbem“. Quintilianus*) etiam abundantiam salis tribuit Lucilio.

Postremo C. IV, 12, 27: *misce stultitiam consiliis brevem* „miscendi“ verbum in abstracta, quae vocantur, substantiva translatum audaciorem praebet imaginem, quam Horatius adhibere primus ausus est.

His enumeratis cum omnia, quae ad hunc orbem pertineant, adposuisse mihi videar, ad rem proximam transeo.

§. 7.

Dictiones a mercatura sumptae metaphorice illustrantur.

His imaginibus cum poeta noster copiosior sit, exempla certo ordine distributa enumerare haud inutile erit. Itaque primum mercis et pretii vim translatam percenseo. Videmus igitur in Sat. I, 2: permultis locis „mercem“ pro „meretrice“ positam velut Sat. I, 2, 47: tutior at quanto *merx est* in classe secunda libertinarum dico . . .

ibid. v. 83. adde hoc quod *mercem sine fucis gestat* [pro ibid. v. 104: . . . *premiumque avellier ante* [cunno] *quam mercem ostendi* . . .

C. III, 24, 24: et peccare nefas aut *preium est mori.*
de mulierum castitate.

Ep. I, 12, 24: vilis amicorum est *annona, bonis ubi quid dest.*

C. IV, 12, 22: ad quae si properas gaudia, cum tua
velox *merce* veni . . .

Deinde verba: „emere, vendere“, similia potestate translata adaugentur in his.

*) X, 1, 94.

C. III, 14, 2 : *morte venalem petuisse laurum*

Ep. I, 18, 48 : cenes ut pariter pulmenta laboribus *empta*
de potentioris cuiusdam amici comite, qui invitus venatum ire
cogitur. — Ep. II, 1, 75 : si versus paullo concinnior unus et alter
iniuste totum dicit venditque poema . . .
„vendere“ vim „commendandi“ p[ro]ae se fert; cf. Cic., ad Att.
XIII, 12: „Ligarianam praelare vendidisti, post quidquid scripsero,
tibi praeconium deferam“. — Huc spectat

Sat. II, 6, 19 : nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
autumnusque gravis, Libitinae *quaestus acerbae*

C. IV, 12, 16 : sed pressum Calibus ducere liberum
si gestis . . .
nardo *vina merebere*

C. IV, 7, 13 : *damna tamen celeres reparant caelestia lunae*
quae imago valet: „quanta celeritate tempora fugiunt, tanta
redire solent“.

Sequitur, ut deinceps modorum ac ponderis usum meta-
phoricum explanemus.

Sat. I, 3, 78 : cur non
ponderibus modulisque suis ratio utitur . . .

Sat. I, 3, 70—72 : amicus dulcis, ut aequum est,
cum mea *compenset* vitiis bona, pluribus hisce,
si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
si volet: *hac lege in trutina ponetur eadem*.

Ep. I, 7, 98 : *metiri* se quemque *suo modulo ac pede*
verum est.

Ep. II, 1, 20 : cetera nequaquam simili *ratione modoque*
aestimat . . .

Ep. II, 1, 29 : . . . Romani *pensantur* eadem
scriptores trutina . . .

Tum pecunia nummique aliquot imagines subministrant,
velut

Sat. II, 7, 113 : adde quod idem
non horam tecum esse potes non *otia recte ponere*

quasi otium pecunia aliqua sit quam optime collocanda.

C. I, 1, 20 : nec *partem solidi demere de die*
spernit . . .

Ep. I, 7, 23: nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis
quae translatio valet: „vera a falsis secernere“.

A. P., 59: licuit semperque licebit
signatum praesente nota producere nomen

Imago a nummis ad verba haud invenuste translata.

Porro accedunt verba ad creditorem et debitorem spectantia, quorum color metaphoricus conspicitur in hisce:

Sat. II, 1, 31: ille velut fidis arcana sodalibus olim
credebat libris

Sat. II, 4, 21: praten^sib^s oprima fungis
natura est; *aliis male creditur* . . .

C. I, 3, 5: *navis, quae tibi creditum debes Vergilium . . .*

C. I, 24, 11: non ita creditum
poscis Quintilium deos.

Similiter fraudare semel deprenditur:

Sat. I, 6, 124: unguor olivo

non quo *fraudatis* immundus Natta *lucernis*
His adiungendae sunt translationes, quae a codice accepti

C. L. S. 14. *Primum fons diarium exponit debitis. Inven-*

C. 1, 9, 14: quem fors d
adpone . . .

C. III, 29, 54: si celeris quatit [fortuna]
pinnas, resigno quae dedit . . .

„resignare“ proprie valet idem atque aes alienum reddere, quo facto signa testium, qui praestiterant, delebantur; h. l. translate, dimittendi, spernendi vim p[ro]ae se feit.

Ep. I, 7, 34: *hac ego si compellor imagine, cuncta resigno*
E. II, 1 234: *Choerilus, incultis qui versibus et male natis*

rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos ..
„referre“ enim dicitur, si quis in codice accepti et expensi acceptam pecuniam testatur.

Denique apponenda ibi essent exempla, quae „mutandi“ verbum metaphorica ratione instructum suppeditant, sed cum a prosae orationis usu haud longe recedant ob eamque rem translatio vix sentiri videatur, propterea his omissis ad ea, quae sequuntur, transire malo.

§. 8.

Imagines a variis vitae privatae muneribus atque condicionibus petitae.

Primum comites, qui cives nobiliores ac divitiores sequebantur, metaphorice usurpantur, velut

Sat. II, 3, 11: quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, *comites educere tantos?*

Damasippus h. l. Horatium reprehendit, quod dum russire vult, illorum poetarum libros secum portet.

C. I, 28, 21: me quoque *devexi rapidus comes Orionis*
. . . . *notus obruit undis*

C. IV, 5, 24: *culpam poena premit comes*

Hoc substantivum iam Plautus in res animo carentes transferre ausus est; cf. Poen. III, 3, 14/15: viam qui nescit, qua deveniat ad mare, cum oportet amnem quaerere comitem sibi; Amph. II, 2, 5: ita dis est complacitum, voluptatem ut maenor comes consequatur; Mercat., V, 2, 30: non amittunt hi me comites . . . cura nimia . . . neque minus alios ante Horatium poetas hoc usu copiosos fuisse multa exempla docent; cf. locos ex Lucretio congestos apud Raumерum.

Deinde a peregrinando una deprenditur imago

Ep. I, 12, 13: si Democriti pecus edit agellos
cultaque, dum *peregre est animus sine cor-*
Ipore velox?

Quem locum Wielandius egregie vertit: „indes sein Geist vom Leib abwesend ins Ideenland hinübergeflogen ist“. Ceterum imago ex Platone profecta videtur esse. sicut patet ex Theaet. p. 173 e: (de philosopho): τῷ δύτι τὸ σώμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτῷ καὶ ἐπιδημεῖ, γέ δὲ δικνοια, ταῦτα πάντα τῇ γραμμένῃ σμικρὰ καὶ οὐδέν, ἀτιμάσατα πανταχοῦ φέρεται, κατὰ Ηγεδαρον, τά τε γάρ οὐπέρθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα . . ; Lucr. I, 72 ss: [de Epicuro]:

ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque.

Sequitur imago a res domesticas administrando petita:

Sat. I, 2, 75: tu si modo recte
dispensare velis ac non fugienda petendis
immiscere.

Dispensatores“ enim appellabantur ii, quibus rei familiaris cura a divitibus mandata erat.

Tum singulas binasve profero imagines, quarum prima a coacervando sumpta est, alterae ad profundendum atque aleam, denique ad furtum sunt revocandae.

C. I, 28, 19: mixta senum ac iuvenum *densem* funera
Similiter „cumulare“ et „accumulare“ a Lucretio transfertur; cf.
Lucr. VI, 1235: idque in primis cumulabat funere funus; III, 71;
„caedem eaede accumulantes“.

C. I, 12, 38: Regulum et Scauros *animaeque magnae prodigum* Paulum superante Poeno
. . . . insigni referam Camena . . .

C. I, 18; 16: *arcanique fides prodiga*, perlucidior vitro.

Sat. II, 5, 50: perraro *haec alea* fallit . . .

„Alea“ h. l. vocatur metaphorice, si quis patrem filii, cui valetudo est infirmior, adulatus id agit, ut heres adscribatur.

C. II, 1, 6: de Polione, qui bella civilia memoriae prodidit:
periculosa plenum opus aleae tractas

Sat. I, 3, 35: denique *te ipsum concute*, numqua tibi vitiorum inseverit olim
natura aut etiam consuetudo mala . . .

sicut furem, quem furti arguimus.

Iam vero ab eo, qui opes in terris abditas effodit, translatio proficiscitur haecce:

Epist. II, 2, 115: *obscurata diu populo bonus eruet atque proferet in lucem speciosa vocabula rerum, quae . . . nunc situs informis premit et deserta vetustas.*

Sequuntur deinceps:

C. III, 8, 27: *dona praesentis cape laetus horae*

C. II, 5, 7: nunc fluvis gravem
solantis aestum . . .

proinde ac si fluvii aqua vitulam consolata sit.

Tum poetarum gloria atque honos has imagines praebent.

Sat. I, 10, 48—49: . . . neque ego illi *detrahere ausim haerentem capiticum multa laude coronam* . .

Ep. I, 19, 26: . . . ne me foliis ideo brevioribus ornes . .

Ep. II, 2, 96: . . . quare sibi nectat uterque coronam . .

Huc referenda sunt :

Epod. 14, 7: *inceptos olim iambos
ad umbilicum adducere*

Sat. I, 1, 121: . . . ne me Crispini *scrinia* lippi
compilasse putes, verbum non amplius addam.

Alterum pro, ad finem perducere“ alterum pro, „exscribendo“ ponitur. — His adiungo translationes a philosophorum doctrina arcessitas :

Ep. II, 1, 45—49: utor permisso, caudaeque pilos ut equinae
[paulatim]

vello et demo unum demo etiam unum
dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
qui reddit in fastos et virtutem aestimat annis.

Imago revocanda est ad soritem illum a philosophis Megaricis inventum, quem stoici receperunt et in disserendo subtiliter adhibebant. — Sequuntur nomina a philosophis potissimum usitata, quorum origo ad geometriam referri merito potest Atque

Sat. II, 7, 86: in se ipso totus, *teres atque rotundus
externi ne quid valeat per leve morari . . .*

Translatio sumpta a sphaera, quae rei perfectae atque absolutae speciem praebet auctore Empedocle (frg. 33 apud Peyron) : „σφαῖρος κυκλοεργής μωνῆ περηγέι γαῖων“; cf. Platon., Timaeus, 33. B.

Ep. I, 6, 34: mille talenta *rotundetur*. . . . porro et
tertia succedant, et quae *pars quadret acervum*.

„quadrare“ metaphorice adumbratum idem valet atque partium convenientia aliquid ornare; cf. Cic. Orator., 197: quadrare orationem: Quintil. II, 5, 9: quadrata verborum compositio.

Ep. II, 2, 44: scilicet ut vellem *curvo dinoscere rectum*
Et „curvum“, Gr. τὸ στρογγόλον et rectum=τὸ ὅρθιόν a geometria ad philosophiae partem moralem transferuntur. cf. Pers. IV, 11: „rectum discernis ubi inter curva subit vel cum fallit pede regula varo“.

A. P. 323: Grais ingenium, Grais dedit *ore rotundo*
Musa loqui . . .

„os rotundum“ idem est, quod a rhetoribus Graecis στρογγόλον appellabatur. Id enim, rotundum habebatur, quidquid verbis et sententiis ita enuntiatum esset, ut in eorum forma concinnitas elegantia artificium appareret; cf. Cic. Brut. 78, 272:

eratque verborum et delectus elegans et apta et quasi rotunda constructio; item Cic. orat. 13, 40; Gellius N. A., XI, 13, 4: sententia rotunda; ib. XVII, 20, 4: numeri rot.

His addo translationem a ludo gramaticorum tractam:

Ep. I, 1, 54: *virtus post nummos: haec Ianus summus ab imo prodocet, haec recinunt invenes dictata senesque . . .*

Tum demum puerorum lusus spectant:

Sat. I, 4, 10: (de Lucilio) in hora saepe ducentos . . . versus dictabat *stans pede in uno*.

hac imagine facilitas, qua versus fecerit, depingitur.

Sat. II, 3, 53: . . . nihilo ut sapientior ille,
qui te uerjet, *caudam trahat . . .*

Haec imago quid sibi velit, Porphyrii adnotatione explicatur: „solent enim pueri deridentes nescientibus [a tergo caudam] suspendere.“ — Eadem videtur subesse imago

Sat. II, 3, 299: dixerit insanum qui me, totidem audiet atque *respicere ignoto discep tpendentia tergo*

Sunt qui translationem eam ad fabulam illam de peris duabus revocandam esse censeant. Evidem in integro relinqu, utra sententia magis valeat.

A. P. 417: *occupet extremum scabies: mihi turpe relinqu est et quod non didici sane nescire fateri.*

Huius quoque imaginis interpretationem Porphyrii debemus; adnotat enim: hoc ex lusu puerorum sustulit, qui ludentes solent dicere: „habeat scabiem quisquis ad me venerit novissimus“. — Poetae igitur ab Horatio h. l. vituperati artem poeticam quasi lusum quendam existimant puerorum, quorum maxime interest, ne extreimi ad metam accurrant; cui si acciderit, ceteri scabiem precantur.

Postremo „funus“ translata ratione semel deprenditur.

C. I, 37, 8: [Cleopatra] . . . dum Capitolio
regina dementis ruinas,
funus et imperio parabat

Quam imaginem iam a Lucretio usurpatam esse patet ex Lucr. III. 709: „natura funeris expers;“ V, 326: „funera Troiae.“

Quibus exemplis enumeratis omnia, quae ad vitam privatam pertinent, exposuisse ~~me~~ posso. Restat igitur, ut in eius capitilis fine verborum nonnullorum ~~casum~~ translatum percensem.



§. 9.

De nonnullorum verborum, velut cessandi, cubandi, celandi, aperiendi, claudendi usu metaphorico.

In ipso huius capitinis fine vim translatam verborum, quae prioribus gyris iniungi non potuerunt, perscrutari nobis constitutum est. Atque ut initium enumerandi capiamus a verbo cessandi, quod proprie valet „cunctari“, hos exhibeo locos: Primum translate significat idem atque otiori, velut

Ep. I, 7, 57: *praeconem notum*

et properare loco et *cessare* et quaerere et uti

Ep. I, 10, 46: *notum*

cogere quam satis est, ac non *cessare* videbor.

Ep. II, 2, 183: *cur alter fratum cessare et ludere et unguis praeferat Herodis palmetis pinguibus, . . .*

Eodem spectat:

C. III, 28, 8: . . . *parcis deripere horreo*

cessantem Bibuli consulis amphoram?

quasi amphora aliquamdiu in cella vinaria recondita prodire cunctetur.

Interdum „cessare“ pro „aberrando a recta via“ ornate adsciscitur: Ep. II, 2, 14: . . . semel hic *cessavit* et, ut fit in scalis latuit metuens pendentis habenae.. sane de mancipio.

A. P. 357: sic mihi, qui *multum cessat*, fit Choerilus ille, quem bis terve bonum cum risu miror . . .

Sequuntur verba „declinare, cubare“, similia.

Sat. II, 2, 6: *adclinis falsis animus meliora recusat*
„adclinis“ translate valet idem atque „promptus ad aliquid“.

Sat. II, 3, 154; deficient inopem venae te, ni cibus atque *ingens accedit stomacho fultura ruentि*

Similiter Lucretius fulciendi notionem transtulit, cf. III, 1146; omnia debet fulcire cibus, item IV, 864; IV, 947.

C. I, 33, 17: . . . Cyrus in asperam
declinat Phlooen . . .

Eadem translatio inest:

Ep. II, 1, 97: *suspendit picta voltum mentemque tabella*
Tum „cubare“ exstat in his:

C. I, 17, 11: *utcumque dulci, Tyndari, fistula*
valles et *Usticae rubantis*
levia personuere saxa . . .

C. IV, 13, 8: . . . ille [scil. Cupido] virentis et
doctae psallere Chiae
pulchris *excubat* in genis

Quae imago et Graecoris poetis usitata erat; cf. Sophocl., Antigon.,
781: Ἐρως . . . δι οὐ μαλακατεῖ παρεποτίς νεάνιδος ἐννυμείεις.

Tum ad celandi verba transeo.

Atque Sat. I, 4, 89: *condita* cum verax aperit *praecordia* Liber

Sat. II, 8, 28: . . . aves, conchylia, pisces

longe dissimilem noto *celantia* sucum

adeo sane, ut non facile cognosceres, quidnam esset,

C. S, 9: alme sol, curru nitido diem qui
promis et *celas* . . .

C. IV, 14, 45: te fontium qui *celat* origines
Nilusque . . .

C. I, 15, 3: *ingrato celeres obruit otio
ventus* . . .

Ep. I, 16, 68: perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
sempiter in augenda festinat et *obruitur re*.

Huius verbi usum metaphoricum pervetus tum esse patet ex
Enn. Annal. XVI, frg. 282 [Vahl]. — Praetera apud Lucretium
aliquoties legitur: cf. V, 648; VI, 866, — Horatius vero primus
audaciore imagine usus in nomina, quae vocantur, abstracta
transtulit.

His adnumerandae sunt translationes;

C. I, 18, 12; nec *variis obsita frondibus*
sub divum rapiam.

C. I, 7, 29: . . . certus enim promisit Apollo
ambiguam tellure nova Salamina futuram . . .

quae verba significant: ambiguum fore, si quis in posterum Salaminius
meminerit, utram velit indicare in sinu Saronico an insula
Cipro.

Postremo verba, quibus significatur „aperire, claudere“, ut
enumerem restat. Atque aperiendi notio exstat in his:

Epod. 11, 14: simul calentis inverecundus deus
fervidiore mero arcana promorat loco.

Sat I, 4, 89: *condita* cum verax aperit *praecordia* Liber

C. I, 24, 17: non lenis precibus facta *recludere*

Ep. I, 5, 16: quid non ebrietas *dissignat?* *operta recludit....*

Ep. I, 5, 25: . . . ne fides inter amicos
sit qui *dicta foras eliminet* . . .

„Eliminare“ priscae Latinitatis proprium est. Nonius p. 38. Merc. multa profert exempla ex Pacuvio, Pomponio, Ennio, Accio de-prompta. Velut Accius in Meleag. fr. 448*) „eliminor“ in genere passivo adhibet. Neque dubitari potest, quin in Phoeniss. 592: „egredere, exi, ecfer te, elimina urbe“ — „te“ vocula et ad „elima“ referenda sit.

Tum aures, prout alter alterius verba animo imbibit an parvi aestimat, pulcherrimas praebent imagines huc potissimum revocandas, velut

Sat. II, 6, 46: . . . quae *rimosa* bene deponuntur *in aure* de rebus vanis atque inanibus iocose dictum.

Ep. I, 16, 26: si quis bella tibi terra pugnata marique dicat et his verbis *vacuas permulceat aures*

Ep. I, 18, 70: nec retinent *patulae commissu fideliter aures*
De poeta ipso Ep. II, 2, 105: idem finitis studiis et mente recepta
obturem patulas impune legentibus aures.

Deinde ad claudendi notionem tamquam traducimur imagine haccē :

Epod. 17, 53: quid *obseratis auribus fundis preces?*
Canidiam haec verba loquentem lepidissime inducit poeta postquam παλινφθεῖσα, si Graeca voce uti licet, per cavillationem ac Iudibrium pronuntiavit.

Sat. II, 1, 28: . . . me pedibus delectat *claudere* verba
Lucili ritu

quae imago significat: verba pedibus claudendo versum efficere, cui opponitur liberior oratio et plane ut dicitur vere soluta.

C. II, 4, 23: cuius octavum trepidavit aetas
claudere lustrum.

Poeta de sua ipsius aetate, cum id carmen scripsit.

Ep. II, 2, 105: *obturem* patulas impune legentibus aures
cf. Graecum: βύει τὰ ωτά.

A. P., 76: versibus impariter iunctis querimonia primum
post etiam *inclusa est voti sententia compos.*

Cum h. l. cf. Sacerdotis grammatici p. 510 [Keil] hoc metro mortuis fletus componebant antiqui vel epigrammata consecrationum, sicut Horatius docet de arte poetica . . .

Iam vero exemplorum uberrima copia docemur poetae nostri animum in vitae privatae muneribus saepissime versatum

*) Ribbeck, tragg. Latt. rell.

esse indeque permultas imagines deprompsisse. Item longe plurimas translationes rebus hominum opera factis subministrari ex huius capitinis paragrapho sexta late patet. Neque minus raro a poeta nostro suavissimas imagines inventas et multarum dictiōnum vim metaphoricam longius provectam esse suopte loco monstratum est. Ut ex exemplorum numero permagno pauca exhibeam, quam sublimis est ornatus poetici cum clavo togae purpureo comparatio! (A.P. 15—17); vel c. III, 29, 56 pauperie honestae cum proba sine dote virgine. Porro vita humana navigationis specie ob oculos posita Ep. II, 2, 200-202; Ep. I, 18, 87; C. II, 10, 22-24, ne enumerando C. I, 14 semel iam exposita repetam. Praeterea multas easque peculiares praebet imagines e texendi arte desumptas. Tum C. IV, 12, 7 „miscendi“ usum translatum longius provexit, item lepidissima invenit epitheta „auris“, velut rimosa (Sat. II, 6, 46): vacua (Ep. I, 16, 26); patula (Epist. I, 18, 70; Ep. II, 2, 105). Denique suum ipsius praeceptum secutus, ubi res possere videbatur, verba diu obscurata, ut ipse ait, in lucem proferre non dubitavit, velut „eliminare“. Postremo de scriptoribus, qui Horatio exemplo fuerunt, ad ea, quae in fine capitinis III. commemoravi, relego. — Sed iam caput sextum aggrediamur.

NOTE.

¹⁶⁾ Quamquam „turbidum“ codd. fide nititur, tamen „turgidum“ recipere maluerim, quod epitheton „turgidum“ ita depingit, ut rem quasi oculis cernere videaris; cf. Hesiod., Θεογ. 131. πέλαχος οὐδέματι φένν.

¹⁷⁾ Hunc versum neque Bibaculo, neque A. Furio Antiati, cuius mentio fit apud Gellium in. N. A. XVIII, 11, tribui posse optime docet Schanz, Römische Litteratur I,³ pag. 136.

¹⁸⁾ Nicolai Heinsii emendatio „relectos“ a Bentleyo quoque probata, quamvis pulcherrima sit, non est necessaria, quia codd. scriptura „relictos“ sensui minime repugnat.

¹⁹⁾ Haec lectio cum in Bland. ant. exstet, a Lambino recepta, probata a Bentleyo sit, praeferenda mihi videtur esse scripturae „perfectum“ a codicibus exhibitae. Neque pauci viri docti, quos auctoritate plurimum valere inter omnes constat, scripturam „prae-secutum“ recipere dubitaverunt, velut L. Müller, Hauptius, Meinecke, Kiesslingius, qui h. l. contrarium quoddam temeritati istorum, qui „non unguis ponere curant“ (v. 297) significari rectissime docet.

WIADOMOŚCI SZKOLNE.

I. Skład grona nauczycielskiego przy końcu r. szk. 1908/9.

a) Nauczyciele przedmiotów obowiązkowych.

1. **Frączkiewicz Aleksander**, c. k. dyrektor, dyrektor c. k. komisyi egzaminacyjnej dla naucz. szkół ludowych, zast. przewodn. c. k. Rady szk. okręb.
2. **Ks. Bielówka Franciszek**, c. k. profesor, prefekt Bursy im. Jakubowicza, uczył rel. rz.-kat. Iab, II, IIIab, IVab, V—VIII, razem 22 godzin tygodniowo.
3. **Bobjak Grzegorz**, c. k. prof., zawiadowca gabin. natur. hist., członek c. k. komisyi egz. dla naucz. szkół lud., gosp. kl. IIc, uczył mat. IIc₃, hist. nat. Ic₂, IIc₂, IIIc₂, Va₂, VIa₄, VIb₂, prop. VIIa₂, VIIb₂, VIIHa₂, razem tygodniowo 21 godzin.
4. **Chmielowiec Maryan Kazimierz**, zast. naucz., uczył j. łac. Ic₈, j. pol. Ic₃, IIIc₃, IVc₃, razem tygodniowo 17 godzin.
5. **Chromcewicz Jerzy**, zast. naucz., gosp. kl. IVa, uczył j. pol. Ib₃, IIc₃, mat. Ia₃, IIb₃, IIIc₃, IVa₃, fiz. IVa₃, razem 21 g. tyg.
6. **Cwojdziński Tadeusz**, c. k. prof. w VIII. randze, zawiadowca gabin. fizycz., gospodarz kl. VIIIa, uczył mat. VIb₃, VIIHa₂, VIIIb₂, fiz. VIIHa₄, VIIIb₄, prop. VIIIb₂, razem 17 g. tygod.
7. **Ks. Dubicki Bazyli**, c. k. prof., uczył rel. gr.-kat. Iac, II, IIIac, IVac, V—VIII, razem 22 godzin tygodniowo.
8. **Falschberg Joachim**, zast. naucz., uczył j. niem. Ic₆, IIb₅, IIIc₄, IVa₄, IVc₄, razem 23 godzin tygodniowo.
9. **Filipek Jakób**, c. k. prof., członek c. k. komisyi egzamin. dla naucz. sz. lud., uczył j. niem. IIIa₄, VIIa₄, VIIb₄, VIIHa₄, VIIIb₄, razem 20 godzin tygodniowo.
10. **Dr. Goldschlag Marek**, egz. zast. naucz., uczył j. niem. IIIb₄, IVb₄, Va₄, Vb₄, VIa₄, VIb₄, razem 24 godzin tygodniowo.
11. **Dr. Handel Salomon**, c. k. prof., reprezentant wyznania mojż. w c. k. R. sz. okręgowej, gosp. kl. VIIIb, uczył j. łac. VIIHa₅, VIIIb₅, j. greck. VIIHa₅, VIIIb₅, razem 20 godzin tygodn.

12. **Hassny Józef Bronisław**, naucz., gosp. kl. VIa, uczył j. łac. Va₆, VIa₆, j. grec. IVa₄, Va₅, razem 21 godzin tygodniowo.
13. **Holuka Roman Aleks. Piotr**, c. k. prof., uczył hist. Ib₃, IIIa₃, IVa₄, Vb₃, VIa₄, VIb₄, razem 21 godzin tygodniowo.
14. **Husak Włodzimierz**, zast. naucz., gosp. kl. IIIc, uczył j. rus. IIab₂, IIIab₂, IIIc₂, mat. Ib₃, Ic₃, IIa₃, IIIb₃, IIIc₃, razem 21 godzin tygodniowo.
15. **Kankofer Aleksander**, zast. naucz., gosp. kl. Ib, uczył j. łac. Ib₈, IVb₆, j. grec. IVb₄, razem 18 godzin tygodniowo.
16. **Kaznowski Adam Tomasz**, naucz., członek c. k. komisyj egz. dla naucz. sz. ludow., gosp. kl. IIIa, uczył j. łac. IIIa₂, j. grec. IIIa₅, j. pol. VIa₃, VIIIb₃, razem 17 godzin tygodniowo.
17. **Kowalski Paweł**, c. k. prof., gosp. kl. IIa, uczył j. łac. IIa₈, hist. geogr. IIa₄, VIIa₃, VIIb₃, VIIIa₃, VIIIb₃, razem 20 g. tyg.
18. **Kyprian Włodzimierz**, zast. naucz., uczył j. łac. IVa₆, j. rus. IVab₂, IVc₂, V₂—VIII₂, razem 20 godzin tygodni.
19. **Knopf Salomon**, egz. zast. naucz., uczył j. niem. Ib₆, h. nat. Ia₂, Ib₂, IIa₂, IIb₂, IIIa₂, IIIb₂, Vb₂, razem 20 godzin tygodni.
20. **Nasielski Józef**, egz. zast. naucz., gosp. kl. IVb, uczył mat. IVb₃, Va₄, Vb₄, VIIb₃, fiz. IVb₃, VIIb₃, razem 20 g. tygodni.
21. **Olberek Antoni**, zast. naucz., uczył j. łac. IIc₈, j. pol. IVb₃, Vb₃, VIb₃, VIIb₃, razem 20 godzin tygodniowo.
22. **Paszczyński Adam**, c. k. prof. w VII. randze, zast. dyrektora c. k. komisyj egzam. dla naucz. sz. lud., gosp. kl. VIb, uczył j. łac. IVc₆, VIb₆, j. grec. VIb₅, razem 17 godzin tygodni.
23. **Pieczonka Edward**, zast. naucz., gosp. kl. Ia, uczył j. łac. Ia₈, IIIb₆, j. pol. Ia₃, razem 17 godzin tygodniowo.
24. **Popowski Jan**, zast. naucz., gosp. kl. Vb, uczył j. łac. Vb₆, j. grec. IVc₄, Va₅, Vb₅, razem 20 godzin tygodniowo.
25. **Reiter Edward**, zast. naucz., na urlopie w II. półr.
26. **Rozumkiewicz Józef**, egz. zast. naucz., na urlopie w I. i II. półroczu.
27. **Rylski-Ścibor Władysław**, naucz., członek c. k. komisyj egzam. dla naucz. sz. lud., gosp. kl. Va, uczył j. pol. Va₃, VIIa₃, VIIIa₃, j. niem. IIc₅, geogr. hist. Va₃, razem 17 g. tygodni.
28. **Sabat Andrzej**, egz. zast. naucz., gosp. kl. IVc, uczył j. niem. IIa₅, mat. IVc₃, VIa₃, VIIa₃, fiz. IVc₃, VIIa₃, razem 20 g. tyg.
29. **Siorek Franciszek**, egz. zast. naucz., gosp. kl. IIIb, uczył j. pol. IIIb₃, j. niem. Ia₆, geogr. hist. Ia₃, IIb₄, IIIb₃, IVb₄, razem 23 godzin tygodniowo.

30. **Dr. Stock Jan**, naucz., na urlopie.
31. **Szafran Tomasz**, c. k. prof. w VIII. randze, gosp. kl. VIIab, uczył j. łac. VIIa₅, VIIb₅, j. grec. VIIa₄, VIIb₄, razem 18 godzin tygodniowo.
32. **Tychowski Włodzimierz Edward**, zast. naucz., gosp. kl. Ic, uczył j. rus. Iab₂, Ic₂, IIc₂, geogr. hist. Ie₃, IIe₄, IIIc₃, IVc₄, razem 20 godzin tygodniowo.
33. **Tyczyński Andrzej**, egz. zast. naucz., uczył j. łac. IIIc₆, j. grec. IIIb₅, IIIc₅, j. pol. IVa₃, razem 19 godzin tygodniowo.
34. **Wilusz Adam**, zast. naucz., gosp. kl. IIb, uczył j. łac. IIb₈, j. pol. IIa₃, IIb₃, IIIa₃, razem 17 godzin tygodniowo.
35. **Dr. Załęcki Artur**, naucz., na urlopie.

b) Nauczyciele przedmiotów nadobowiązkowych.

1. **Filipek Jakób**, j. w., uczył j. franc. w 4 oddz. 8 g. tygodn. i j. angiels. w 2 oddz. 4 g. tygodn.
2. **Holuka Roman**, j. w., uczył h. kr. rodz. w IIIa, IVa, VIa, VIb, po 1 g. tygodn.
3. **Kowalski Paweł**, j. w., uczył h. kr. rodz. VIIa i b po 1 g. tyg.
4. **Lewandowski Kalikst**, kierown. sz. lud., uczył rys. w 3 oddz. 6 godzin tygodn.
5. **Olberek Antoni**, j. w., uczył kaligrafii w 2 oddz. 2 g. tygodn.
6. **Siorek Franciszek**, j. w., uczył h. kr. rodz. IIIb i IVa, po 1 godz. tygodn.
7. **Tychowski Włodzimierz**, j. w., uczył h. kr. rodz. IIIc, IVc, po 1 godz. tygodn.
8. **Wilusz Adam**, j. w., uczył śpiewu w 4 godz. tygodn.
9. **Tow. gimn. „Sokół“** uczyło gimnastyki w 13 oddz., 13 g. tyg.

II. Zmiany w składzie grona nauczycielskiego w ciągu roku szkolnego 1908/9.

1. C. k. Rada krajobrazowa zatwierdziła w zawodzie nauczycielskim i nadała tytuł c. k. profesora *a)* ks. Bazylemu Dubickiemu rozp. z d. 4. lipca 1908 l. 21585; *b)* Dr. Salomonowi Handlowi rozp. z d. 15. lipca 1908 l. 31591; *c)* Romanowi Holuce rozp. z d. 20. października 1908 l. 50360; *d)* ks. Franciszkowi Bielówce rozp. z d. 17. marca 1909 l. 11042.

2. C. k. Rada Szkolna krajowa zamianowała rzeczyw. naucz. w tut. zakładzie Dr. Artura Załęckiego rozp. z d. 28. sierpnia 1908 l. 37229.
3. C. k. Rada Szkolna krajowa zamianowała zastępów naucz. w tut. zakładzie rzeczywistymi nauczycielami:
 - a) Michała Posackiego w c. k. gimn. z j. w. rus. w Kołomyi rozp. z d. 9. lipca 1908 l. 10768;
 - b) Stanisława Boronia w c. k. gimn. z j. w. pol. w Kołomyi rozp. 14. lipca 1908 l. 20278;
 - c) Juliana Czajkowskiego w c. k. gimn. z j. w. rus. w Stanisławowie rozp. z d. 14. lipca 1908 l. 20804;
 - d) Jarosława Opatrnego w c. k. gimn. I. w Nowym Sączu rozp. z d. 15. lipca 1908 l. 20279;
 - e) Jana Matłachowskiego w c. k. gimn. w Buczaczu rozp. z d. 25. sierpnia 1908 l. 2636 Pr.
 - f) Kazimierza Kowalczewskiego w c. k. gimn. w Buczaczu rozp. z d. 25. sierpnia 1908 l. 253 Pr.
4. C. k. Rada Sz. kraj. przeniosła z tut. zakładu zastępów naucz.:
 - a) Teodora Zakałatę rozp. z d. 19. sierp. 1808 l. 39366 do c. k. g. z j. w. rus. w Stanisławowie;
 - b) Jana Lebiszczaka rozp. z d. 26. sierpnia 1908 l. 39697 do c. k. g. Franc. Józefa w Tarnopolu.
5. C. k. Rada Sz. kraj. przeniosła do tut. zakładu zastępów naucz.:
 - a) Salomona Knopfa z c. k. g. w Buczaczu rozp. z d. 19. sierpnia 1908 l. 39366;
 - b) Józefa Rozumkiewicza z c. k. g. IV. we Lwowie rozp. z d. 19. sierp. 1908 l. 39366.
